in occulto habuit, in nostram inde quasi foras
exeat notitiam. Veluti si poma aliqua de sinu suo
quis alteri proiciat et manifestet, que ibi occulta
primum latuerint.

Item, quod dicitur: gaudent in celis anime
sanctorum, non est nisi eas gaudere in vita
illa eminenti, cuius eminentia per celum de-

signatur eo, quod celum creatura eminentior est. Celi enim eminentia vel dignitas nichil vel beatitudinis augere vel pene minuere potest, sicut nec alicuius loci, ut diximus, dignitas sive indignitas. Loci tamen dignitatem vel indignitatem non attendimus nisi secundum nos, sicut nec munditiam vel immunditiam, cum in rei veritate iste locus mundior non sit eo loco vel dignior, quem indignum vel immundum esse censemus. Nec hec res ante esum mundior quam sit etiam post secessum. Ita et nocivum aliquid dicimus, quod nostram cito dissolvit fragilitatem. Veluti venenum, quod cum nobis noceat, in serpente tamen ipsius vita est. At vero hec omnia, que nobis modo nociva sunt, si Adam in precepto Dei permansisset, nostre nature, que tunc integra esset, nec aliquam lesionem susciperet, non possent quicquam obesse. Sed postquam ille ab obedientia Dei recessit, ita statim et animantia ab obedientia illius recesserunt, acsi sibi invicem dicerent: Sicut ille, qui ad servitium Dei creatus est, servitio Dei se subtraxit, sic et nos, qui ad obedientiam hominis creati sumus, non solum ei non obediamus, sed et, quantum possumus, noceamus.

A. This text is found only in S.F. But the wording of the quotation from Augustine is different in the two works. Neither quotes Augustine *verbatim*. C. is close to the wording of the *Sic et Non*. The wording of the passage *a* is partly in S.P. In the example given only *stilus* is common, which is also found in Th.

4. Only C. and S.P. allude to the tripartition in the beginning of the quotation from Augustine. Only S. H. and the *Sic et Non* agree with C. in the expression *spiritus-creator,* while S.P. and S.F. have *increatus.*

Besides, C. has here *loco, tempore,* which are likewise found in S.H., S.F. and *Sic et Non.*

Instead of *tristis—hilaris,* S. P. and S. F. have *iratus—pacatus.*

I. C. has these words partly in common with S. P.

II. The example of the soul is found essentially in Th. lib. 3, c. 6 (1006B):

> Sicut ergo anima in corpore per substantiam suam magis quam per positionem localem dicitur esse, eo scilicet quod per propriae vigorem substantiae ipsum vivificet ac moveat ac, ne in putredinem dissolvatur, custodiat; sicque per operationem vegetandi ac sentiendi singulis membris tota insit, ut singula vegetet et in singulis sentiat.
> S.F. (Ostlender 10): Quod autem de anima dicitur, quod in corpore est, nihil aliud est nisi quod corpus vivificat.

Another text is in S.P.
III. The sense of this text is found in C. and in Th., lib. 3, c. 6 (1106BC), while it is almost word for word the same in S.F. (Ostlender, 10): *Quid igitur est, quod Deus ubique essentialiter dicitur esse? Nihil aliud est nisi Deum sufficientem esse ad omnia administranda ex se.*
IV. This is alluded to in Th., lib. 3, c. 6 (1105D-1106A).

Let us now see what authorities can be verified in the *Sic et Non* (=SeN).

A { *Sic et Non* c. 40 (1399CD): Augustinus, *De Civitate Dei* lib. XVI: Non loco movetur Deus, qui semper ubique est totus, sed descendere dicitur, quum aliquid inusitatum facit in terra.

4 { *Sic et Non* c. 43 (1405B): Item [Augustinus in *libro Quaestionum Orosii ad ipsum*]: Igitur secundum praedictam rationem spiritus creatus per tempus moveri potest, non per locum. Spiritus creator sine tempore et loco, corpus autem et loco et tempore.

A. The first quotation is found in C. and S. F.
4. Only C. and S.H. agree with the *Sic et Non* in the expression *spiritus creator,* while only C., S.H., and S.F. agree with it in the terms loc*o* and temp*ore*.

I want now to collate the various resemblances found in the works we are studying. They are as follows:

1.	S.P. (End)	S.H. (Beginning)			
2.	S.P.	S.H.	S.F.		
3.	S.P.	S.H.		Th.	
4.	S.P.	S.H.			S.F. C. SeN.
5.	S.P.				S.F.

A.	S.P.			S.F.	C.	SeN.
a.	S.P.		Th.		C.	
I.	S.P.				C.	
II.				S.F.	C.	
III.				S.F.	C.	
IV.			(Th)		C.	
x.		S.H.	(Th).(SF).			

Verbal resemblances are found between:

2.	S.P.		S.F.			
A.	S.P.	S.H.		Th.		
4.	S.P.		S.F.			
4.		S.H.	S.F.			
A.			S.F.		C.	SeN.
a.	S.P.				C.	
4.	S.P.				C.	
4.		S.H.			C.	SeN.
		S.H.	S.F.		C.	SeN.
I.	S.P.				C.	
II.			S.F.		C.	
III.			S.F.		C.	

Sharp divergences are found between:

2.	S.P.	S.H.			
3.	S.P.	S.H.			
4.	S.P.	S.H.			
3.	S.P.			Th.	
A.	S.P.		S.F.		
4.	S.P.		S.F.		
4.	S.P.				C.
4.	S.P.				C.
4.			S.F.		C.
II.	S.P.				C.
II.	S.P.		S.F.		

Also opposed to one another are S.P.: S.H.; S.P.: Th.; S.P.: S.F.; S.P.: C.; S.F.: C.

Agreeing with one another are S.P.—S.H.; S.P.—Th.; S.P.—S.F. S.P.—C.; S.F.—C.

Opposing pairs on the same passage are:

4: C, S.H., *Sic et Non* × S.P., S. F.

4: C, × S.P., S.F.

4: C, S.H., S.F., *Sic et Non* × S.P.

A: C. S.F., *Sic et Non* × S.P.

2: S.H. × S.P., S.F.

It is notworthy that where we find these oppositions and resemblances we are always dealing with the same doctrinal point. Furthermore, in the passage designated by the number 4, we find a change in the construction of one and the same paragraph. This fact alone already makes it very improbable that what is common to those several works may be explained by their dependency on a common written source. For since the same works now run parallel, now oppose each other and associate in their wording with former opponents, a common written source, for instance the *Liber sententiarum,* would no longer suffice to explain such a phenomenon.

It seems that a glance at the different ways of quoting the *auctoritates* in the passages designated by the numbers 3 and 4 corroborates this opinion. For he who uses a written source does not touch the wording of the quotations, even if he intentionally makes some changes in the text before him.

Finally, it may be said that the Cambridge Commentary, while explaining the manner of redemption, mentions the names of *Vincentius* and *Laurentius.* These names, however, are found in no other work belonging to the Abelardian school, except in the Pauline Commentary of Robert of Melun, who as a pupil heard the oral teaching of Abelard. Thus it seems to be the simplest solution to trace the resemblances with Abelard's doctrine, as they appear throughout the whole Cambridge Commentary, back to the oral teaching of Abelard—in our case even to a *lectura* on all the Pauline writings.[38]

---

[38] Cf. on this question the fundamental researches of H. Ostlender, "Die Theologia 'Scholarium' des Peter Abaelard," in *Geisteswelt des Mittelalters. Studien und Texte.* Dedicated to Martin Grabmann by friends and pupils on the completion of his sixtieth year. (Münster i. W., 1935), 263-281. Also cf. by the same author, "Die Sentenzenbücher der Schule Abaelards," in *Theologische Quartalschrift* (Tübingen), CVII (1936): 208-252.

IV

Experience teaches that the authenticity of all the parts of a Pauline Commentary is not proved by the mere fact that they were written without interruption in the same MS. It was not unusual in the twelfth century to supplement missing parts from the work of another author. Even a homogenous train of ideas and also some characteristics of style throughout, for example the use of the word *continuatio* in all the parts, do not yet permit us to judge finally that the different parts of our work belong together. These things may be explained by a mere dependency of all the parts upon Abelard. We must, therefore, follow another road. Fortunately in the different parts references are made to other parts as works of the same author. This proves undoubtedly the unity of the whole, i. e., that the whole belongs to the author of the Prologue.

1.) *Epistle to the Colossians.*

In the second chapter of the Epistle to the Colossians we find the reference:

> Que traditiones hominum, id est scientie seculares sunt tamquam elementa huius mundi, ut videlicet sicut elementa mundi sunt initia, ita et ille nostra debent esse initia tamquam rudimenta prima, ut in eis initiemur, in theologia consumemur, propter quam, ut in exordio epistolarum meminimus, omnes scientie alie reperte sunt. (fol. 147v)

Again in the third chapter:

> Et ideo, ut in exordio meminimus, scripture alie docent, ut ewangelium, ubi docemur, quid faciendum, quid non, alie movent animos edoctorum, veluti epistole ille, ad obediendum eis, que iam edocti sumus. (fol. 184v)—For both references cf. Prologue (fol. 104r).

2.) *Epistle to the Romans.*

In the second chapter of the Epistle to the Colossians, the authenticity of which we just proved, reference is made to the Epistle to the Romans:

> Vos, dico, "consepulti ei in baptismo". De ista consepultura dictum est in epistola ad Romanos, ut

> videlicet, quemadmodum Christus mortuus est in carne, ita et nos vitiis moriamur in mente et consepeliamur cum illo. (fol. 147v). Cf. Rom. 6 (fol. 110v f.).

Again in the third chapter:

> In illo autem iudicio, ut epistola ad Romanos meminimus, quidam statim revelabuntur, qui alios iudicabunt et revelabunt dampnandos esse tanquam in illos dantes sententiam, quod non est aliud nisi, quod ex gloria illorum et beatitudine apparebit, quam dampnabiles sint illi, qui in eos egerunt et eos oppresserunt; alii vero, qui apparebunt non revelantes, sed revelandi, qui erunt quasi in ancipiti sententia diu, de quorum salute statim non constabit, qui tamen quandoque salvabuntur. (fol. 148v) Cf. beginning of the exposition of Rom. 2 (fol. 106r).

3.) *Epistle to the Ephesians*

In this epistle we find references to the Epistle to the Romans, the authenticity of which is beyond doubt after what has been said. Thus in the first chapter the following reference occurs:

> ... et hoc "per sanguinem", id est mortem eius. Per quam, ut in epistola ad Romanos diximus, caritas dilatata est in cordibus nostris. (fol. 139r). Cf. Rom. 3 (fol. 108r).

In the second chapter:

> Ut enim in epistola ad Romanos meminimus, cum Deus voluerit quandam suam civitatem in hoc mundo facere, non statim totum mundum elegit, sed quandam partem, cum unusquisque sapiens a minimis inchoat, ut ad maiora perveniat, quasi expectans generalem omnium conversionem ad fidem in adventu filii sui, ut tanto esset gratior quanto utilior. Et hec sua civitas exordium ab Abraham sumpsit, cui dixit Dominus: Egredere de terra tua et de cognatione etc.... (fol. 140r) Cf. Rom. 2 (fol. 106v).

In the fourth chapter:

> De quo et in Ezechiele legitur, quod videlicet animalia usque ad firmamentum extendebant alas

> suas, sed cum ad aquas, que super firmamentum erant, venirent et non fieret desuper firmamentum, statim alas suas submittebant. Hec verba quid velint dicere, summa super epistolam ad Romanos expolita est. (fol. 141v) Cf. Rom. 3 (fol. 108v).

4.) *I Epistle to the Thessalonians*

First of all, the authentic Epistle to the Ephesians is twice mentioned as the work of the same author. These references occur in the comment on the fourth chapter:

> Loci enim dignitas sive indignitas sicut nec beatitudinem auget vel minuit, ita nec penam. Et tanto Deus apparet mirabilior, ut in epistola ad Ephesios meminimus, quanto mirabiliori modo in eodem loco hos punit, illos beat... Si autem loci dignitas vel indignitas, ut in supra memorata epistola diximus, quicquam beatitudinis conferret vel minueret, quomodo poterimus dicere, quod angelus, quem scimus ad virginem missum esse, eque beatus fuerit, si locus aliquis beatitudini ascribatur, si videlicet in eo loco, a quo veniebat, fuerit beatior, quam in eo, ad quem veniebat; quod non convenit. (fol. 150v) Cf. Eph. 4 (fol. 141r).

Then one reference to the Commentary on the Epistle to the Romans is found in the exposition of the fifth chapter:

> At vero, si quis vindictam sumit, ita sumat, ut Deus potius in se vindicet quam ipse, ut in epistola ad Romanos meminimus (fol. 151r). Cf. Rom. 12 (fol. 120v).

5.) *I Epistle to Timothy*

The Commentary on the Epistle to the Ephesians is referred to in the comment on the fifth chapter:

> Quod autem obicitur de verbis veritatis, qui cum eum quererent, ait: quicumque facit voluntatem patris mei, hic pater, hic mater, hic soror est, tale est, acsi dicatur: Erga istos summum affectum habeo. Sed summum intellige respectu inferioris affectus, qui naturalis est. In illo enim summo affectu, quem spiritalem appellamus, hos pre illis amplecti debemus. Sed attende, quod in epistola ad Ephesios contra istos in parte dixisse videmur. (fol. 156r). Cf. Eph. 5 (fol. 143r).

Earlier, in the exposition of the first chapter is mentioned the I Epistle to the Corinthians:

> Quid autem sit tradere aliquem satane, in prima epistola ad Corinthios dictum est. (fol. 153r) Cf. I Cor. 5 (fol. 124v).

Finally, a reference to the Epistle to the Philippians occurs in the comment on the third chapter:

> Et nota, quod per episcopum hoc loco more suo accipit quemcumque sacerdotem sicuti supra in epistola ad Philippenses, ubi dictum est: cum episcopis et diaconibus, id est cum sacerdotibus, quia, ut ibi monstravimus, in una civitate non possunt esse plures episcopi. (fol. 154r). Cf. Phil. 1 (fol. 144r).

6.) *Epistle to the Hebrews.*

First of all, we find in the first chapter a reference to the Commentary on the Epistle to the Romans:

> Sepe enim tanquam ex abrupto induci ita solent testimonia vel a prophetis vel aliunde sumpta, ut, cum in eo loco, ad quem sumpta sunt, rei, que tunc dicitur, multum sit consona, respicientes ad illum locum, a quo sumuntur, ea omnino secundum litteram precedentem et subsequentem absona esse censeamus, veluti illud, ut in epistola meminimus ad Romanos, quod ibi multum arrupte inducitur ab apostolo de Moyse, cum ait: Ne dixeris in corde tuo: quis ascendit in celum, id est Christum deducere, aut quid descendit in abissum, hoc est Christum ex mortuis revocare. (fol. 165r). Cf. Rom. 10 (fol. 116v).

Then in the twelfth chapter the I Epistle to Timothy is mentioned twice:

> Per prophanum enim eos intelligit, qui ea vendunt, que ad divina pertinent ministeria, veluti qui res vendunt ecclesiasticas, quos giezitas sive simomachos appellamus, de quo in prima epistola ad Timotheum dictum est... Ut enim in eadem epistola ad Thimotheum commemoravimus, cum quis videat perversum aliquem in prelatum ecclesie eligendum esse, si pecuniam dederit, ne eligatur, imo ipse etiam vel alius, quem credit esse idoneum, non peccat. (fol. 181r). Cf. I Tim. 3 (fol. 154v).

Thus we have proved beyond doubt that to one author are to be attributed the Commentaries on Romans, I Corinthians, Ephesians, Philippians, Colossians, I Thessalonians, I Timothy, and Hebrews. There can hardly be any doubt that the other Commentaries are from the same author, especially since we have been able to establish the authenticity of the Commentary on I Corinthians, the only one that is really different from the rest, in that it omits the explanation of many passages and is completely silent on chapters twelve to sixteen.

V.

The text seems to be very reliable. It has been corrected by the writer himself with accurateness. But when it comes to deciding whether the manuscript is an autograph, the problem becomes a puzzling one.

We find three times the disconcerting mistake *heredem* for Herodem (fol. 116v, 125v and 167v), which we are inclined to attribute only to a copyist. At the same time it is surprising that the corrector did not change it. Furthermore, we encounter mistakes which seemingly are caused by a homoeoteleuton, and thus again point to a copyist. On fol. 110v, for instance, the expression *consensum concupiscentie* was originally written, then crossed out, and finally supplied by *quiddam*. This probably is to be explained by the homoeoteleuton *"peccatum" id est,* being originally written in the wrong place. The long omission on fol. 117v sq., which was supplied in the margin, could likewise be caused by a homoeoteleuton, namely *electionem.*

On the other hand we find corrected passages in which the original errors cannot be reduced to mere mistakes in writing. On fol. 111v *in sanctis operibus, vel quod iam sancti estis* is crossed out and replaced by *virtutes, que sanctificant.* On fol. 150v was originally: *sed "sic", id est resuscitati sive rapti "erimus".* This by expunctions and additions was changed into: *sed "sic", id est in illa levitate corporum existentes "erimus".* On fol. 111v *Et hoc est, quod supponit* is crossed out and above is written: *ad hoc tendentes.*

Furthermore, frequent gaps in the text give the impression that they were intentionally left open for matter to be supplemented later. Let us examine these gaps more closely. We find on fol. 107v after *"usque ad unum", id est donec Christo uniatur et commembrum eius fiat* a blank space of a quarter of a line. Then the text continues: *"requirens" per orationes. "Declinaverunt."* ... It is hard to believe that the author had still the intention of explaining the text *non est intelligens* (Rom. 3,11); the space would scarcely have sufficed. On fol. 123r there is a gap of three quarters of a line between *"sciam autem." Veniam utique, sed scio, "quoniam ad vos veniens veniam in benedictionis habundantia" Christi* and *obsecro igitur.* We do not see what here could be inserted.

On fol. 123v half a line is blank between *"que multum"* (Rom. 16,6) and *"Probum"* (Rom. 16, 10). Here not only a portion of the text of Romans is passed over without comment, but, besides, *"que multum"*, which was booked for an explanation, remains unexplained. The explanation was probably supposed to be inserted in the blank space.

On fol. 126r more than three quarters of a line is blank between *"Ego autem parco vobis"* (1 Cor. 7,28), *qui videlicet volo vos continere* and *"Breve tempus"* (I Cor. 7, 29). Why an explanation should necessarily be inserted here is not apparent.

On fol. 131r is found a gap of almost half a line between *quia "in omnibus exhibuistis"* (2 Cor. 7, 11) *nobis obedientiam* and *"Igitur si scripsi"* (II Cor. 7, 12). Perhaps a comment on the ending of II Cor. 7, 11 *vos incontaminatos esse negotio* was to be inserted at this point, although the allotted free space seems to be too meagre.

On fol. 135r a gap of three quarters of a line is left between: *sed quia "signa apostolatus"* (II Cor. 12, 12), *id est mei apostolatus etc. Multi enim inter illos dicebant eum non esse apostolum, quasi dicat: quoniam etsi me non dicatis apostolum, tamen apparet, quia apostolus sum per ea, que Deus operatus est per me apud vos* and *"Quid enim est"* (II Cor. 12, 13). Here, indeed, an explanation of verse twelve

is still to be given *"in omni patientia, in signis et prodigiis et virtutibus"*, but how that could be done in so small a space, we do not see.

On fol. 136v five and one half lines are blank between *"per fidem"* (Gal. 3, 14) and *"Hoc autem"* (Gal. 3, 17). This gap would be understandable if it were left open for the explanation of Gal. 3, 15-16.

On fol. 138r almost four lines are blank between *"fornicatio"* (Gal. 5, 19) and *"Fructus"* (Gal. 5, 22). Parts of verses nineteen, twenty, and twenty-one remain to be explained. Furthermore, there is a gap of almost three lines between *"caritas"* (Gal. 5, 22) and *"Adversus huiusmodi"* (Gal. 5, 23). The major part of verses twenty-two and twenty-three remains unexplained.

On fol. 141v ocurs a blank of half a line between *suscipere possit* (end of a question which was occasioned by *ut impleret omnia* (Eph. 4,10 end) and answered with regard to Abelard) and *"Et ipse dedit"* (beginning of Eph. 4,11). The intention of inserting an explanation later could not have been the reason for this gap.

On fol. 146r there is a blank space between *"carissimi"* (Philipp. 4,1 end) and *"Evodiam"* (Philipp 4, 2 beginning). The need of inserting an explanation at this point is not apparent.

On fol. 148v two thirds of a line is blank between *"sed omnia"* (Col. 3,11) and *"induite ergo"* (Col. 3, 12 beginning). Here also the insertion of an explanation seems to be unnecessary.

On fol. 152v there is a gap between *"et de fide non ficta"* (I Tim. 1, 5 end) and *"conversi in vaniloquium"* (I Tim. 1, 6 middle). We would expect an explanation of *"et fide non ficta, a quibus quidam aberrantes."* But the space of half a line seems to be too scanty. One line is open between *"neque intelligentes"* (I Tim. 1,7 middle) and *"Scimus autem"* (I Tim. 1, 8 beginning). To insert an explanation would not be out of place.

Between *monstrat per partes iniusti* (from the explanation of *"iusto"* near the beginning of I Tim. 1,9) and *"con-*

taminatis" (near the end of I Tim. 1,9) is a gap of more than a line. The space could be filled in with an explanation. Between "*significationem*" (to explain "*homicidis*" [I Tim. 1,9]) and "*plagiariis*" (I Tim. 1,10) half a line is blank. Explanations of "*fornicariis, masculorum concubitoribus*" remain to be given but the space left would be too small. Between *vendunt* (to explain *plagiariis* [I Tim. 1,10]) and "*et si quid*" (I Tim. 1,10) almost a whole line is blank. Here again something is left to be explained, namely, *mendacibus et periuris.*

On fol. 153r a gap of half a line is left between "*seipsum pro omnibus*" and "*Cuius testimonium*" (both in I Tim. 2, 6). Perhaps an explanation of "*seipsum pro omnibus*" was planned.

On fol. 154r there is a gap of three quarters of a line between *in quo est luxuria* (to explain *vinolentum* [I Tim. 3,3]) and "*sue domui bene prepositum*" (I Tim. 3,4 beginning). One might think that the space was left open for the explanation of the rest of I Tim. 3,3. However, it seems to be too small. Betwen "*cum omni castitate*" (I Tim. 3, 4 end) and "*Si quis autem*" (I Tim. 3, 5 beginning) one third of a line is left blank, perhaps for the insertion of the explanation of "*cum omni castitate*", although once again the allotted space is too meagre.

On fol. 155r between *Iuxta quod apostolis veritas dicit* and *edentes et bibentes...* (from Luke 10, 7) space is left open, but not enough to write the introductory words of the sentence quoted from Luke 10,7: *In eadem autem domo manete.*

On fol. 157r between "*iustitiam*" *videlicet* (I Tim. 6,11) and *Et in his* "*certa certamen*" (I Tim. 6, 12) almost a whole line is blank. It could be used to explain the rest of verse eleven: "*pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem*", but it certainly is too small.

On fol. 180r the gap before "*Contempta confusione*" (Hebr. 12, 2) was due solely to a rent in the parchment. This rent also made necessary another gap on the reverse side of the folio (fol. 180v).

Before we attempt to determine the reason for these gaps, it may be helpful to direct our attention to the additions and additional insertions, the number of which is amazingly large. Some of them seemingly point to a solution of the problem which the presence of the blank spaces presents to us.

On fol. 155r we find the text *"id est doctrinis", id est pravis dogmatibus diabolicorum hominum, speudo videlicet apostolorum.* Beginning with *licorum* the text runs over into the margin, an indication that the following line was already filled when these words were put down. We observe this same phenomenon twice on fol. 157r, once on fol. 158v, twice on fol. 161r, twice on 169v, once on fol. 174r and several times elsewhere. Furthermore, the exposition of the Epistle to the Hebrews begins with the second column of fol. 161v; consequently the rest of *Philemon* had to be supplied on a small sheet. It is likewise surprising that we never find the gaps in the middle of a line but always at the end.

In view of all the phenomena I have mentioned, I am led to believe that the spaces were intentionally left open for supplements, or at least, that a later part of the Commentary was frequently written before the preceding part was finished. The reason for this circumstance was perhaps—and to this point especially the essential corrections and unproportionately frequent additions—that the copyist received his text immediately from the author and made his copy in faithful conformity to the genesis of the author's text. Perhaps the interpretation of all the Pauline epistles was in the beginning as eclectic as the interpretation of I Corinthians still is, and was only by and by completed.

[IN EPISTOLAM AD ROMANOS]

[PROLOGUS]

[1*]Sicut[a] universa, sive celum sive terra sive cetera, que in mundo sunt, propter hominem, non propter angelos vel archangelos, ut homini serviant, condita sunt, homo vero ad serviendum soli Deo creatus est, sic artes omnes, sive gramatica, que constructiones docet, sive dialectica, que de argumentis disserit, sive rethorica, que in persuasione consistit, seu etiam cetere artium, ut pedisece divinitatis sint, reperte sunt. Quecumque enim, ut ait apostolus, scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.[1] Quippe quecumque scripta philosophica vel poetica quantumcumque fabulosa vel a quantumcumque lascivis facta sunt vel quacumque intentione sive utilitatis causa seu delectationis—nam aut prodesse volunt aut delectare poete[2]—, in eis tamen aliquem fructum assequimur, ut omnino diversa locutionum genera vel figuras, quibus divina pagina, que parabolice et sub quodam quasi velamine loquitur, referta est, cognoscamus. Scripture enim universe, licet ab earum opificibus alia de causa composite sint, tamen a Sancto Spiritu ad hunc finem sunt directe, ut videlicet divine serviant scripture, propter quam alie facte sunt, ipsa vero propter se. Que duplicem habet intentionem. [2*]Omnis enim sacra scriptura tam veteris testamenti quam novi aut docere aut movere more 104r

---

[a] Sicut] icut

---

[1] Rom. 15,4

[2] Horatius, Epistolae II, 3,333.

[1*] Cf. *Prologum questionum de epistolis Pauli a magistro Roberto de Miludino enodatarum.* H. Denifle, *Die abendländischen Schriftausleger bis Luther über Iustitia Dei* (Rom. 1,17) *und iustificatio*, Mainz (1905), 76.

[2*] Cf. *Prologum Roberti de Miludino* necnon *Initium expositionis Abaelardi in epistolam Pauli ad Romanos* (PL 178,183). Quod secundum conferatur et ad sequentia.

orationis rethorice intendit. Quippe cum vetus testamentum tripertitum sit in legem, prophetias, istorias, lex docere habet, quid faciendum, quid non; prophetie vero vel istorie movere intendunt, que legi superaddite sunt, ut auditores traherent, ut, quod lex precipiebat, vellent facere, et, quod prohibebat, dimittere. Quod duobus modis faciebant: tum per comminationes, tum per promissiones, de quibus etiam proponebant exempla. Superaddite sunt etiam, ut, quod lex minus faciebat, que nichil ad perfectum perduxit, in qua de dilectione inimici nichil scriptum est, iste scripture exartando supplerent. Unde David: Si retribuam retribuentibus michi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.[3] Iterum Salomon: Si inimicus tuus esurierit, ciba illum; si sitit, potum da illi.[4] Idem veritas, que non venit solvere legem, sed implere:[5] Diligite, inquit, inimicos vestros.[6]

Novum vero testamentum, quod continet evvangelium, epistolas, apocalipsim et actus apostolorum, similiter intendit. Evvangelium enim, quod pro lege habemus, docet; quod, quamvis quandoque moveat per exemplum aliquod, de intentione non est. Epistole vero vel apocalipsis, que agit de promissionibus in novissimis diebus, vel actus apostolorum, qui multa nobis exempla proponunt, movent predictis modis trahendo ad obediendum evvangelicis preceptis. Hec enim scripta sunt veteres panni, quibus Daniel a lacu leonis tractus est.[a] [7] [3*]

Sic autem soluta est questio Jeronimi, quam facit, quare videlicet epistole, cum doctrina ewangelii sufficiens fuerit,

[a] Hec—tractus est] *inter lineas*

[3] Psalm. 7,5
[4] Prov. 25,21.
[5] Matth. 5,17
[6] Matth. 5,44
[7] Jer. 38,11-13. Est tamen hic sermo de Jeremia.

[3*] *Prologus Roberti* (l.c.): "Quod etiam per prophetam Jeremiam ostensum est, qui in lacu positus per funem demissum, cui veteres panniculi alligati, ne manus ipsius lederentur, extractus est."—Abaelardus (PL 178,783): "Hi autem sunt veteres illi panni, qui ad extrahendum Jeremiam de lacu funibus circumligati sunt.

ei successerint.[8] [4*] Cuius quasi quandam solutionem ponit, quod quemadmodum in veteri testamento prophetie legi superaddite erant, ita in novo epistole ewangelio. Cuius quidem questionis solutio in verbis nostris liquidius continetur, cum tamen et eadem ex verbis Jeronimi perpendi queat, quare videlicet earum superadditio superflua non sit. [5*]Sunt enim quedam ad incolumitatem civitatis, quedam ad exornationem. Ad incolumitatem precepta Domini nostri Jhesu Christi, sine quibus nulla nostra penitus salus consistit. Ad exornationem vero epistole et cetera sacra eloquia, que ad complenda precepta dominica nos invitant et movent, sine quibus tamen salvari possemus. Dominus etiam, quemadmodum suis, ut maiora facerent quam ipse fecerit, ut Petro, cuius umbra mortuos suscitabat,[9] permisit, ita quedam ab illis precipienda, ut Paulo de muliere fideli ad virum infidelem vel econverso[10] et de virginibus,[6*] ut in sua civitate in maiori haberentur honore,[11] reservavit.

[7*]Cum itaque omnium epistolarum communis sit intentio movere, singule tamen proprias habent intentiones vel materias, veluti hec prima, que ad Romanos dirigitur, cuius causa fuit quedam altercatio habita inter iudeos conversos et gentes. Quippe uterque populus se alterutrum in ecclesia preponere volebat. Dicebant enim iudei: Nos sumus tales et tales, quos Dominus elegit tamquam populum peculiarem, quibus legem dedit, quibus tot beneficia contulit, ad ultimum de quibus natus est. Vos autem idola semper coluistis, vos etiam canes estis testante veritate, que ait: Non est bonum

---

[8] Pelagius, *Prologus in omnes epistolas.* H. Zimmer, *Pelagius in Irland* (Berlin, 1901) 26 sq., 280.

[9] Act. 5,15.

[10] 1 Cor. 7,12 sqq.

[11] 1 Cor. 7,25 sqq.

[4*] *Prologus Roberti* (l.c.): In quo etiam solvitur questio illa, que facta est a Jheronimo. Querit enim, cum perfectio doctrine in evangelio contineatur, quare addite sint epistole et cetera.

[5*] Cf. ad sequentia Abaelardi Prologum (PL 178,784).

[6*] Cf. *Roberti Prologum* (l.c. 76 sq.) et *Abaelardi Prologum* (PL 178,784).

[7*] Ad sequentia cf. *Abaelardi Prologum* (PL 178,785).

sumere panem filiorum et dare canibus ad manducandum.[12] Gentiles vero econtra omnia eis in obprobrium vertebant et partem suam commendabant dicentes: Eu, post tot beneficia quid fecistis? Eum videlicet crucifixistis.[8*] Nos vero de cultura idolorum arguendi non sumus, qui doctorem aliquem non habebamus, qui de cultu Dei nos instrueret. Unde ex quo eum audivimus, eum statim recipimus. Quare non solum debemus inde non argui, verum etiam in ecclesia vobis preponi.

Huius igitur epistole intentio est illam altercationem reprimere et hoc duobus modis, hominum videlicet merita extenuando, divinam gratiam amplificando.[9*]

Materia vero merita hominum et gratia Dei, de quibus agit modo predicto. Et sciendum, quod hec epistola invectionibus crebris referta est. [10*]Invehitur enim modo in hos, modo in illos. Et gentiles, qui de idolis penitus se excusabant, penitus inexcusabiles reddit docens, quod preter legem naturalem habebant philosophos, qui aliquid de Deo cognoscebant. Unde dicturus est: Quod notum est Dei, manifestum est in[a] illis. Deus enim illis revelavit.[13] Creaturam etiam habebant, que suum artificem predicabat. Unde subiungit: Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, que facta sunt, intellecta conspiciuntur. Unde Tullius ex mundi amministratione, quo nichil melius[b] regitur vel amministratur, probavit quandam magnam providentiam esse, que omnibus preest.[14]

De istis autem conversis, quibus scribit apostolus, queritur, a quo fuerint conversi. [11*]Quidam dicunt, quod a disci-

---

[a] est in] *inter lineas*
[b] melius] *inter lineas*

---

[12] Marc. 7.27
[13] Rom. 1,19
[14] Cicero, *De natura deorum*. lib. 2 c. 38 sq.

[8*] Cf. *Roberti Prologum* (l.c. 77).
[9*] Cf. *Abaelardi Prologum* (PL 178,785).
[10*] Ad sequentia cf. *Abaelardi Prologum* (PL 178,786).
[11*] Ad sequentia cf. *Abaelardi Prologum* (PL 178,786), Roberti Prologum (l.c. 77).

pulis apostolorum conversi sunt, qui in persequutione, que facta est in morte Stephani sub rege Anthioco vel in destructione civitatis, que a Tito et Vespasiano facta est, a Jerosolimis Romam venerant. Quidam vero, quod a Petro. Utrumque autem dici potest. A Petro enim possunt dici conversi, id est a discipulis, qui erant de doctrina Petri. His igitur apostolus, licet ab ipso non conversis, ex nimia sollicitudine, quam erga omnes habebat, scribit. Unde ait: Instantia mea cotidiana sollicitudo omnium ecclesiarum.[15] Et iterum: Quis infirmatur et ego non infirmor. Quis scandalizatur et ego non uror.[16]

[12*]Hec autem epistola, non quod primum scripta fuerit, primum ponitur; sed eis, qui has epistolas in unum volumen redegerunt, eam in capite poni placuit, eo videlicet, quod agit contra primum vitium id est superbiam, vel quia Romanis, qui primatum habebant inter homines, vel ecclesie, que magistra est omnium ecclesiarum, directa est.

---

[15] 2 Cor. 11,28
[16] 2 Cor. 11,29

[12*] Ad sequentia cf. *Abaelardi Prologum* (PL 178,787 sq.), *Roberti Prologum* (l.c. 78).

[Cap. 1.]

"Paulus etc." [13*] More scribentium epistolas salutationem premittit, in qua, quem affectum erga illos habeat, ostendit, ut ad veram vitam eos adhortetur. Quam quidem salutationem et quedam, que ei annectit, pro exordio habet, in quibus auditores tum attentos tum benevolos comparat, quemadmodum in exordiis fieri solet. Hanc autem attentionem tum ex persona sui missi ad predicandum verba salutis, tum ex persona mittentis preparat. Benevolentiam vero, ubi monstrat se voluntatem habere veniendi ad illos et desiderium videndi eos.

Debetis scire, quod de nomine Pauli dissensio est. Dicit enim Origenes sive Ruphinus,[17] qui XX volumina super hanc epistolam composuit, que Rufinus in decem redegit, que tamen Origenis dicuntur esse, apostolum ante conversionem etiam esse binomium. A parentibus enim hoc nomen Saulus per diminutionem, ut Julius ab Julo,[a] eo quod de progenie Saulis, qui primus rex erat in Israel, ad gloriam ei datum est. Unde et magis usitatum erat, quia erat ad commendationem.

Quod autem ante conversionem hoc nomen haberet, testantur actus apostolorum, cum dicitur: Saulus, qui et Paulus.[18] Post conversionem vero apostolus hoc nomine, quod erat nomen superbie vel glorie, vocari noluit. Unde alterum nomen, id est Paulus, quod prius usitatum non erat, semper in suis epistolis preponit, in quo[b] humilitas preten-

---

[a] ut—Tulo] *inter lineas*
[b] quo] qua

---

[17] Origenes, *Commentariorum in epistolam B. Pauli ad Romanos Praefatio* (P G 14,837)—Cf. Abaelard., *Sic et Non* q. 98 (PL 178, 1486).
[18] Act. 13,9

[13*] *Initium expositionis Abaelardi in epistolam ad Romanos* lib. 1 c. 1 (PL 178,787).

ditur, quam imitator Jhesu Christi ipse imitatur. [14*]Alii tamen dicunt, quod hoc nomen Paulus accepit a prima sua victoria, dictus Paulus a Paulo Sergio[19] proconsule, quem primum Domino adquisivit, sicut et Affricanus a devicta Affrica. Sed probabilius nobis videtur,[a] quod Origenes astruit, quia secundum illos hoc nomen Paulus, quod in epistolis suis preponit, potius superbiam || pretenderet quam 104v
humilitatem, cuius ipse est imitator.

"Servus". Servum se Dei vocat id est sedulum et occupatum in eis, que Dei sunt, quoniam servus in servitio domini sui solet occupari et constringi. Sed[b] videtur contra hoc facere, quod Dominus dicit: Non dicam vos servos, sed amicos,[20] cum se servum appellet. Non tamen se servum, simpliciter vocat. Hoc enim nomen servus simpliciter positum conditionem notat. Unde Dominus: Non dicam vos servos, id est tales, qui non ex amore diligunt, sed timore. Servum vero Dei esse non est esse servum, sed regem vel liberum esse, cui servire est[c] regnare. Si etiam se servum appellaret, quod conveniret, faceret nec contra dominicum dictum ageret, sed faceret uterque, quod deberet. Domini enim est servo providere; servi vero, quantum potest, reverentiam domino exhibere.

Nec eo nomine convenit se appellare, quo ad gloriam ipsius a Domino est appellatus, sicut nec etiam fieri convenit quicquid a Domino precipitur. Deus enim multa precipit, que nullo modo fieri debent nec convenit. Veluti Abrahe precepit filium suum imolare, quod fieri non oportuit,

---

[a] videtur] *inter lineas*
[b] Servum se Dei—Sed] *in margine superiori*
[c] est] *inter lineas*

---

[19] Act. 13,7
[20] Joh. 15,15

[14*] Abaelardus, *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 1 c. 1 (PL 178,788): Iuxta Hieronymum et Augustinum seu ceteros ipse sibi apostolus nomen mutuavit a Paulo proconsule, quem per miraculum primum convertit.

sed ut ille probaretur, cui id est preceptum. Unde dictum est: Nunc te cognovi,[21] id est cognitum feci.

"Christi Jhesu". De istis nominibus sciendum est, quod unum est proprium, ut Jhesus, quod ab angelo vocatum est, antequam in utero conciperetur;[22] alterum appellativum, ut Christus, omnium unctorum in regem et in sacerdotem commune. Quod Christo est assignatum, non quod corporalem unctionem acceperit, sed quia in ipsa conceptione spiritaliter unctus est, cui scilicet omnia dona, que per partes aliis conferuntur, universaliter sunt collata, id est gratia septiformis. Qui et ideo fons sive alveus dicitur, de cuius plenitudine omnes accepimus; alii vero rivuli dicuntur, quibus aliquod donum collatum est. Unde et ipse caput nostrum appellatur. Sicut enim in capite omnes sensus, quibus alia membra vigent, ita in illo omnia dona, quibus membra sua vivificat.

Unctus est autem in regem, ut suos bene regeret; in sacerdotem, ut pro eis offerret hostiam, quam in ara crucis immolavit.

Et nota: Cum alias indifferenter ponat hec nomina, in hoc loco tamen in eis ordinem servavit dicens: Christi Jhesu, servans ordinem ex tempore, quia prius Christus fuit id est unctus predicta unctione, postmodum Jhesus id est salvator a tempore videlicet passionis. In aliis vero locis hoc illi preponit ex dignitate, quippe magis nobis profuit eum Jhesum esse quam Christum.

"Vocatus apostolus." Alii per se veniunt et se intrudunt quocumque modo vel emptione vel violentia, non sicut Aaron electi. Iste vero vocatus venit in apostolatum vi etiam quadam coactus, cui post Colopham dicitur: Saule, Saule, quid me persequeris.[23]

"Segregatus." Secundum quod dicitur in actibus apostolorum: segregate michi Paulum et Barnabam.[24] Vel contra illos loquitur, qui ei impropabant dicentes non esse aposto-

---

[21] Gen. 22,12
[22] Luc. 1,31
[23] Act. 9,4
[24] Act. 13,2

lum nec a Domino missum, cum cene non[a] interfuerit sicut magni apostoli nec Dominum viderit, a quo minime dicebant eum electum esse. Contra quos etiam alibi loquitur ostendens suam electionem aliorum electionibus precellere, quia, cum alii ab homine id est a Christo adhuc mortali electi fuerint, ipse a Christo iam toto Deo electus est. Et hoc est *segregatus,* id est specialiter electus, cuius videlicet electio seorsum facta est et ab aliis separata. Vel secundum quod alias dicitur: Qui me segregavit ab utero matris mee, id est a sinagoga.[25]

"In ewangelium". Ewangelium dicitur bona annuntiatio eo, quod de re iam completa est, in quo differt vetus testamentum ab illo, quia est de re complenda. Et quamvis res, de qua agit, iam sit completa, tamen de re complenda secundum intentionem iudicatur esse. Hic enim laneus funiculus, de quo legitur in Ezechiele.[b] [26]

"Quod ante". Differentiam assignat inter vetus et novum testamentum, illam scilicet, quam diximus, quod videlicet vetus est de re complenda, cum novum sit de re completa. Et hoc est "quod" scilicet ewangelium "ante promiserat per." Unde Jeremias: Dabo novum testamentum in intellectu eorum et in cordibus eorum superscribam illud.[27]

"Suos." Ad differentiam eorum, in quibus loquuntur demones. Promiserat, dico, in "scripturis", sed "sanctis", non in Terentio vel in Aristotele, que scripture sancte non sunt. Scripturis, dico, "de Filio suo," id est de eis, que ad Filium suum spectant. Vel sic, quasi dicat: Segregatus sum in ewangelium, quod ante prophetatum est de me et hoc non in quibuslibet scripturis, sed "sanctis" et non in quibuslibet sanctis, sed in eis, que sunt de Filio suo, acsi diceret: Non in aliis, sed in eisdem me poteritis invenire, que et de Filio Dei loquuntur. De isto enim specialiter facta est prophetia et de alio apostolo nulla. Unde illud in patriarcha: Ben-

[a] non] inter lineas
[b] Hic enim—Ezechiele] *inter lineas*

[25] Gal. 1,15
[26] Ezech. 40,3;47,3.
[27] Jer. 31,33; Hebr. 8,10; 10,16.

iamin lupus rapax mane rapies predam, vespere divides escas.[28] Iterum David: Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu,[29] quia iste in extasi mentis raptus est usque ad tertium celum. In Job rursus: Quis es, qui rinocerotem potes ad aratrum constringere, ut glebas frangat.[30] Ille autem rinoceros fuit iste, qui in naribus cornu habens christianos persequebatur accipiens epistolas a principibus sacerdotum, ut quoscumque viros huius vie viros vinctos perduceret Jerusalem.

"Qui factus". Dictum est,[a] quod in eisdem scripturis potest inveniri, que sunt de Filio Dei. Qui, Filius videlicet, "factus est secundum carnem," id est secundum hominem. Sepe enim nomine carnis designatur homo iuxta illud: Et videbit omnis caro salutare Dei,[30] et nomine hominis significatur anima et nomine anime homo, ut, cum dicitur: Petrus est in celo id est anima Petri. Quo nomine etiam solum corpus monstratur, ut Petrus est Rome.[15*]

"Ei" id est ad honorem eius. Unde ait: Non quero gloriam meam, sed eius, qui misit me, Patris.[32] Cum autem dicatur Filius Dei, id est verbum factus secundum hominem, non ideo provenit, quod sit factus, sicut nec, cum dicitur: Filius minor est Patre secundum humanitatem, sequitur, quod sit minor, cum sit Patri penitus equalis.

Quod autem dicitur factus secundum hominem, nichil est aliud, nisi quod sibi hominem univit in personam unam, quem uniendo fecit, id est creavit. Quale est et illud: Minor

---

[a] est] *inter lineas*

---

[28] Gen. 49,27: Beniamin lupus rapax, mane comedet praedam et vespere dividet spolia.

[29] Psalm. 67, 28.

[30] Job. 39,10.

[31] Luc. 3,6

[32] Joh. 5,30: quia non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.—Joh. 8,50: Ego autem non quaero gloriam meam; est, qui quaerat et iudicet.

[15*] Cf. Abaelard., *Expositio symboli, quod dicitur apostolorum* (PL 178,625 B sq., 626 A sq.).

est Patre secundum humanitatem, id est univit sibi in personam unam naturam minorem id est inferiorem divina.

"Ex semine David", id est ex Maria, que est semen David. Dicit tamen Origenes[33] hoc loco, quod Filius David non est dicendus, nisi quemadmodum filius Joseph dicitur, qui erat eius nutricius. Vult enim Mariam tantum esse de sacerdotali tribu et non de regali. In quo ei non consentimus, quia quamvis tribus impermixte essent primum, ut ipse dicit, quod voluit Dominus fieri, ne propter matrimonia orirentur discordia in terra illa, que etiam funiculis divisa erat, postmodum tamen licebat unicuique de alia tribu uxorem accipere, et ita Maria de utraque tribu erat. Unde apostolus in epistola ad Hebreos: Manifestum est, quod de Juda Dominus ortus est.[34] Attende autem, quod, cum in sacra scriptura commemoretur Dominus et filius David et filius Abrahe indifferenter, hoc loco tamen commemorat eum esse de semine David tamquam de semine peccatoris, qui per adulterium tam graviter peccavit, ut quicquid nobis fecerit Deus, non meritis nostris, sed sue gratie ascribamus. Ex quo etiam palam est eum esse filium Abrahe.

"Qui predestinatus". Hoc loco dicit Origenes, quod *predestinatus,* cum predestinatio Filio Dei non conveniat, non debet hic esse, sed *destinatus,* quia ad nos revera destinatus est, id est missus. Sed non attendit, quod illud *secundum carnem* resumi debet hoc modo: "qui Filius Dei predestinatus" est secundum carnem. Et licet de eodem loquamur, de quo prius, id est Verbo, homini tamen et non Verbo predestinationem attribuimus, veluti cum dicimus: iste homo fuit multum sapiens, etsi de hoc corpore loquar, tamen anime sapientiam attribuo. "In virtute", id est, ut virtus nostra esset.

"Secundum spiritum". Ad duo premissa duo refert singillatim quasi singula singulis reddens. Ad hoc enim, quod dixerat Filium Dei factum secundum carnem ex Maria, que quasi ab adultera descenderat et carne adeo peccatrice, que

---

33 Origenes, *Commentariorum in epistolam Pauli ad Romanos* lib. 1 (PG 14,851).

34 Hebr. 7,14

in adulterio tota erat, quereret aliquis, quomodo id esse potuerit. Ideo supponit dicens "secundum spiritum sanctificationis" id est sanctificantem, qui videlicet in ipsa etiam conceptione virginem ab omni labe peccatorum mundavit, cum usque ad eam alie conceptiones penitus in peccatis essent. Unde David: Et in peccatis meis concepit me mater mea.[35]

Ad hoc vero, quod supposuerat, quod videlicet factus est virtus nostra, alterum refert determinans, ex quo incepit esse virtus nostra, a tempore videlicet resurrectionis, quia ante resurrectionem ita infirmi erant in fide et imbecilles, quod etiam Petrus, qui firmior erat, ipsum negaret, in ipsa videlicet passione. In ipsa etiam resurrectione dubitabant et desperabant de ipso resurrecturo. Sed post resurrectionem adeo sunt confirmati, ut, qui ad vocem ancille trepidabat, ad conspectum Neronis omnino intrepidus existeret. Et hoc est "ex resurrectione", id est a tempore resurrectionis. Et, ne videretur putativa vel phantastica resurrectio Christi, subiungit: "mortuorum Jhesu," quasi dicat: que ita vera fuit in eo, sicut in membris quandoque est completa vel quandoque complenda.

Queritur,[16*] an homo ille assumptus sit Filius Dei per naturam vel per adoptionem vel per gratiam. Dicimus, quod filius adoptionis non est, cum omnis filius prius sit[a] quam
105r in filium adoptetur et de nonfilio filius fiat. || Iste vero, ex quo fuit filius, fuit omnium heres constitutus. Filius etiam per naturam dici non potest, cum de substantia patris non sit. Est autem filius per gratiam, quia quicquid habuerit, per gratiam habuit. Et est omnis filius adoptionis filius per gratiam, sed non convertitur.

---

[a] sit] *inter lineas*

---

[35] Psalm. 50,7

[16*] Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 1 c. 1 (PL 778, 795); *Sententiae Florianenses* (ed. H. Ostlender. Bonnae (1929), 18); *Sententiae Rolandi* (F. Gietl, *Die Sentenzen Rolands nachmals Papstes Alexander III.* Freiburg i. Br. (1891)), 179 sq.

Queritur etiam, cum dicatur filius Dei vel filius virginis, quare non dicatur filius Spiritus Sancti, a quo dicitur conceptus esse iuxta illud: qui conceptus est de Spiritu Sancto.[36] Et iterum: Spiritus Sanctus superveniet et virtus etc.[37] Ad quod dicimus, quod multa nascuntur ab aliquo, que tamen filii non dicuntur, veluti capilli, ut dicit beatus Augustinus, de homine nascuntur vel etiam pediculi, qui tamen filii hominis non dicuntur.[38]

"Per quem". Hic etiam personam sui missi ex persona mittentis commendat, quia videlicet a tali missus est. Et hoc est "per quem," scilicet Filium Dei.
"Gratiam" id est donum gratuitum ut remissionem peccatorum et ea, que ei inspiravit ad predicandum.
"Apostolatum" id est officium predicationis et hoc ad hunc finem, scilicet "ad obediendum fidei" id est, ut ad[a] hoc moveamus homines, ut velint obedire eis, que de Deo credenda sunt.[b]
[c]"Pro nomine eius" id est notitia, quia per nomen quelibet res cognoscitur.
"Vocati Jhesu Christi" id est insigniti illo glorioso nomine, a Christo videlicet christiani vocati. Nullus enim populus a Deo nomen accepit preter christianos. Unde quanto negligentiores aliis gentibus fuerimus, tanto magis Deo in oprobrium erimus iuxta illud: Et nomen meum propter vos blasphematur inter gentes.[39] Gentes vero non ab Agar ancilla, sed a Sara sarraceni vocari[d] voluerunt. Et dicuntur

---

[a] ad] *inter lineas*

[b] sunt] *inter lineas*

[c] "Pro nomine eius"—cognoscitur] *antea post* "Vocati Jhesu Christi" —iure vivendum *positum per signa apta ad praesentem locum transmittitur.*

[d] vocari] *correctum ex* vocare

---

[36] Symbolum apostolicum. H. Denzinger, *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum.* (11 ed., Freiburg i. Br., 1913) No. 2.

[37] Luc. 1,35

[38] Augustinus, *Enchiridion, sive de fide, spe et caritate* lib. 1 c. 39 (PL 40,252)

[39] Rom. 2,24; Is. 52,5; Ezech. 36,20.

gentes, quia tales sunt, quales geniti. Pagani vero a pago, quod est villa, dicti sunt quasi villani a civitate remoti, quia sine lege erant. Civitas enim est congregatio hominum ad iure vivendum.

"Dilectis Dei" id est quibus Deus dilectionem exhibuit, vel qui dicunt se dilectos Dei esse. "Vocatis sanctis" id est vocatis ad sanctitatem vel iam habentes nomen sanctum, sancti videlicet sanctorum.

"Gratia". Hucusque littera suspenditur, quasi dicat: Paulus talis et talis Domini servus mandat, subaudis talibus, ut dictum est, ut videlicet "gratia sit" etc., id est Spiritus Sanctus detur vobis. "Et pax" id est, ut pacem habeatis et tam Deo quam vobis ipsis reconciliemini. Et breviter hic totam distinguit Trinitatem et processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio.

"Primum". Premissa salutatione, in qua captavit attentionem commendando et se et Dominum et officium, annectit ea, que cum ipsa salutatione loco exordii habet. Et quia ex consuetudine scribendi epistolas optantur bona eis, quibus scribitur, ne eum hoc tantum fecisse existiment ex illa consuetudine, ista apponit, ut quem affectum erga illos habeat, ostendat et sic eos sibi alliciat, ut, cum dure eos increpare inceperit, illam increpationem ex amore esse intelligant. Et hoc facit more sollertis oratoris, qui primum auditoribus blanditur et allicit, ut, que dicturus est, libentius audiant; vel more sapientis medici, qui[a] prius quedam blanda vulneri apponit, ut pedetentim asperiora subiungat.

Continuatio: Optavi vobis bona, sed non ex consuetudine scribendi epistolas, imo ex amore, quia "primum" id est maxime "ago gratias". Agere gratias est aliquem laudare vel glorificare pro beneficio gratis collato.

"Meo", scilicet facto "per Jhesum Christum", qui me Deo reconciliavit. Vel ago gratias per "Jhesum Christum". Et unde agit gratias, supponit, quia videlicet "fides vestra annuntiatur", id est proposita est ad exemplum totius mundi. Nam capite converso facile membra convertuntur. Ut enim

[a] qui] que

dicit Quintilianus,[40] quod superiores faciunt, minoribus imperare videntur.

Et nota, quod, cum Domino mundum convertere placuit, his gradibus processit: primum videlicet iudeos ad fidem vocans, qui legem et prophetas habebant, de quibus apostolos elegit; deinde illos per apostolum devictos, qui primatum in doctrina mundi optinebant, quos philosophos appellabant, ut per illos alios, qui ab illis artes acceperant, facilius converteret; demum conversis principibus in doctrina illos, qui principatum in potestate habebant, id est Romanos, ad fidem vocavit, ut ita capitibus ad fidem conversis nullatenus membra resisterent.

"Testis enim est", quasi dicat: vere ex affectu hoc dico, quia "testis est michi", id est Deum testificor. Et id ponit pro sacramento, quale est et illud: vivit Dominus.

Queritur, quid[a] sit iurare per Deum. Ad quod dicimus, quod, qui per Deum iurat, hoc asserit, quod Deus ei non prosit, nisi hoc tenuerit, vel, qui per fidem suam iurat, quod fides non sit ei ad utilitatem, nisi hoc fecerit. Et non est[b] peccatum iurare, sed appetere. Unde non dixit veritas: ne iuretis, sed nolite iurare,[40a] id est appetere.

Queritur etiam, si iurandum sit per lapidem et, quid sit per lapidem iurare. Ad quod dicimus, quod non peccat, qui per lapidem iurat. Et iurare per lapidem non est aliud quam, quod dictum est, quod videlicet lapis non sit ei ad utilitatem, nisi hoc teneat, quod dicit. Illi tamen, qui per idolum iura-

[a] quid] *inter lineas*
[b] est] *inter lineas*

[40] M.Fabii Quinctiliani ut ferunt Declamationes XIX maiores. Declamatio III, Miles Marianus c. 13: Nam quo ad altiorem quisque se honorum gradum extendit, magis in exemplum spectantibus patet.— Ibidem c. 15: Haec enim conditio superiorum est, ut, quidquid faciunt, praecipere videantur et perniciosissimus est malae rei maximus quisque auctor. (Opera III. Biponti (1784) 50 sq. et 52). Abaelardus, *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib 1 c. 1 refert eadem loca ea tamen erronee declamationi *De Caeco* attribuendo (PL 178, 798 C).
[40a] Jac. 5,12

bant et non tenebant, peccabant, cum contra conscientiam facerent.

Obicitur, quod per creaturas non est iurandum iuxta illud: Nolite iurare neque per celum neque per terram, sed Domino sacramenta tua persolves.[41] Quod sic exponitur: Nolite iurare, id est appetere. Et non solum id non appetendum est, sed etiam Domino etc., id est cave, ne iures, quod solvere non debeas. Qui enim iurat, quod iurandum non est, dupliciter reus est, si tenuerit.

In "spiritu meo", id est ex amore, quia multorum servitia sunt coacta.

"In ewangelio Filii", id est ad predicandum ea, que in Filio suo sunt completa.

"Sine intermissione". Orationem facit sine intermissione, qui orare non pretermittit, cum orandum est, quasi dicat: Quotiens orationem pro me facio, et pro vobis oro. Et non solum pro vobis orans, sed etiam obsecrans, ut, "si quo modo", id est quocumque modo vel per adversa vel prospera vel terra vel mari.

"Tandem aliquando". Idem, quod *aliquando,* sicut *plerique alii* idem, quod *plerique.* Et fortasse apostolus in sua lingua scribebat epistolam et ideo coniunctiones, que in una lingua bene sedebant, in alia lingua habundabant.

"Prosperum" dico, non in voluntate mea, que multotiens errat, sed in "voluntate Dei", que errare nescit. Sciebat enim apostolus sanctos sepe in petitionibus errare. Unde apostolus ipse orans sepe, ut stimulus satane ab eo removeretur, non est exauditus.[42] Diabolus vero exauditus est, cui a Deo in Job data est potestas.[43]

"Desidero enim". Obsecro, ut habeam, et hoc ex affectu, quia "desidero" etc.

"Ad confirmandos", non scilicet ad convertendos vos, qui iam conversi estis, sed, ut in eo, quod accepistis, confirmemini.

---

[41] Matth. 5.34 sqq., Jac. 5,12.
[42] 2 Cor. 12,7 sq.
[43] Job. 2,5 sqq.

"Simul consolari in", quia ut dicit Boetius[44] in ipotetico sillogismo, et ille, qui instruitur in aliqua doctrina, consolatium habet, et ille, qui amicum instruit, quia postmodum in ea doctrina de ipso confidit. Sic et illi, quos dicit confirmandos esse, in confirmatione illius[a] solatium haberent, et ipse, cum amplius confidentior vel securior de illis esset, congauderet. "Per eam, que". Unde vel per quod sit confirmatio illa vel illa reciproca consolatio, subiungit: "per eam fidem", in qua videlicet aliquas habebant dubitationes.

[17*]"Vestram atque meam", que scilicet communis est[b] id est catholica, quod sonat universale vel commune, que ideo communis dicitur vel universalis, quia ad omnium salutem sufficeret; vel ad differentiam fidei hereticorum, quorum fides propria est et privata.

"Que est invicem", id est vinculo caritatis connexa, que vos invicem vincit et ligat.

"Nolo autem". Ad hoc, quod possent dicere: quare ergo, cum tantum habeas desiderium, non venis, supponit dicens: "Nolo" etc. "Fructum". Ferentis non est fructus, sed accipientis.

"Barbaris". Nasciones vocat hoc loco barbaras, que doctrinas non habebant. Quod exponit dicens "sapientibus" propter grecos, "insipientibus" propter barbaros, qui doctrinis carebant.

"Ita quod in me". Et quia debitores alii sunt coacti, alii voluntarii, subiungit: "ita" videlicet debitor sum, "quod in me promptum", id est, quod ego pronus sum, non coactus scilicet, sed volens non solum aliis, sed "et vobis" etc.

---

[a] illius] *inter lineas*
[b] est] *inter lineas*

---

[44] Boethius, *De syllogismo hypothetico* lib. 1 (PL 64,831) sed non ad verbum.

[17*] Cf. Abaelard., *Expositio symboli, quod dicitur apostolorum* (PL 178,629 A); *Theologia* lib. 1 c. 4 (PL 178,986 CD); *Expositio fidei in symbolum Athanasii* (PL 178,629 B); *Sententiae Hermanni* c. 2 (PL (178, 1697 C); *Sent. Flor.* 2; *Sent. Rol.* 14.

"Non enim erubesco". Continuatio: Promptus sum ewangelizare, quia non "erubesco", id est de predicatione Christi vel mortui vel crucifixi, quod gentibus stultitia, iudeis vero scandalum est, nulla michi inferri erubescentia potest. Cum enim ex una parte eius fortitudinem predicem, ex alia vero infirmitatem, de singulis presto sum rationes reddere. Quidam enim tunc erant, qui ista erubescebant, quia non habebant rationes[a] ad hoc paratas. De quorum numero nonnulli sunt hodie, qui non in rationibus reddendis
105v prompti, de || fide minime disserendum esse mentiuntur, illud Gregorianum ad solatium sue imperitie proponentes: Fides non habet meritum, cui humana ratio prebet experimentum.[45]

Contra quos apostolus plane loquitur in epistola ad Corinthios dicens: Qui linguis loquitur et non prophetat, taceat in ecclesia.[46] Si enim linguis loquimur et non prophetamus, si quis infidelis intraverit, nonne dicet: quid insanitis? Nam quis supplebit locum idiote? Unde alibi: Ut sciatis unicuique, quid oporteat, respondere.[47] De eodem Petrus: ut omni poscenti parati sitis rationem reddere.[48] Quippe apostolus, cum pro hiis disputaret vel de passione Domini vel de resurrectione vel de novissima resurrectione omnium mortuorum, nisi ad singula rationes haberet, nullatenus eum reciperent. Unde, cum aliqua magna de Deo loqueretur, subiungebat dicens: Sicut quidam vestrum dixerunt.[49] Quam etiam ridiculosum sit, in verbis Fausti palam est, qui dicebat quidlibet posse dici, cum de nulla re oporteat rationem supponere.[50]

"Virtus enim". Ad hoc, quod in proximo dixerat, respicit hec littera, ad hoc videlicet, quod in me, inquit, promptum

[a] rationes] *inter lineas*

[45] Gregorius Magnus, *XL homiliarum in evangelia libri duo*, lib. 2 hom. 26,1 (PL 76,1197).

[46] 1 Cor. 14,1 sqq.

[47] Coloss. 4,6

[48] 1 Petr. 3,15.

[49] Act 17,28: Sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt.

[50] Locus non inventus.

est et vobis ewangelizare, id est vos instruere de doctrina ewangelica, que omnes alias doctrinas precellit, quia est "virtus Dei", id est illud, per quod Deus hominem iustificat. Et virtuti comparat ewangelium, quia, sicut virtutes iustificant, sic et ewangelium, quod sufficienter docet omnia, que homini sunt necessaria, nec aliquid superaddendum est.[a] In quo doctrina ista separatur a lege, que nichil ad perfectum duxit, nichil de dilectione inimici precipiens, que, quamvis initium salutis preberet, non tamen perficiebat. Unde fidelibus illis, que erant necessaria, inspirabat Deus sicuti David, qui dicebat: Si retribuam retribuentibus [51] et cetera. "In salutem", id est in iustificationem. Et quibus sit virtus in salutem, ostendit dicens: "Omni credenti" id est recipienti illam doctrinam et ei adquiescenti. Et hoc "primum iudeo" secundum ordinem temporis, qui primum conversus est, et postmodum "greco", qui postmodum. Vel *primum* ad utrumque populum refer, qui primum conversi sunt respectu aliarum nationum. Vel primum, id est maxime, quia in tempore apostoli plures de istis quam de aliis in ecclesia Dei erant per fidem.

"Iustitia enim." Vere virtus est, quia "in eo", id est in ewangelio "iustitia" id est iusta Dei remuneratio vel ad penam vel ad gloriam revelatur id est diligenter est expressa, cum doceat, que et propter que Deus remunerat, non videlicet opera, sed voluntatem, quod minime lex docebat, sed econverso. Et quomodo sit ibi expressum, subiungit: "ex fide", scilicet penarum, "in fidem", scilicet premiorum, quasi dicat, quod ex eruditione illius credendo scimus, que Deus remunerat ad penam, que ad gloriam. Unde est hominis iustificatio hec vitando, illa faciendo iuxta illud: declina a malo et fac bonum.[52] In eo vero, quod dicit: ex fide in fidem, ordinem nature insinuat, quia pena in remuneratione Dei premium precessit, quemadmodum in angelis, sicut etiam erit in novissimo iudicio.

---

[a] nec—est] *inter lineas*

---

[51] Psalm. 7,5: Si reddidi retribuentibus mihi mala.

[52] Psalm. 36,27

Et quod ex fide penarum in fidem[a] premiorum iustificetur homo, quam tradit doctrina ewangelica, inducit testimonium ab Abacuc propheta[53] dicens: "Iustus ex fide vivit", id est ex eo, quod scit Deum talia remuneraturum ad penam, talia ad gloriam, permanet in iustitia sua hec videlicet vitans et illa faciens, quippe non est aliud iustum vivere in iustitia quam in iustitia permanere, sicut econtra eum mori id est a iustitia recedere.

"Revelatur enim". Hucusque quedam sunt salutationi annexa, que, ut supra meminimus, loco exordii ad auditores attentos reddendos vel benevolos premissa sunt. Quibus ita premissis ad id, de quo intendit, ad superbiam videlicet eorum reprimendam, accedit et gratiam Dei amplificando et merita hominum, ut dictum est,[b] extenuando rationes, quas iudei inducebant, penitus infirmat et gentiles, qui se de sua ignorantia excusabant, omnino inexcusabiles reddit, ut neuter populus habeat, quid meritis suis imputet, sed totum divine gratie ascribat. Ad quod faciendum crebris, ut diximus, utitur invectionibus modo in hos, modo in illos, modo in utrosque simul. Et inprimis in utrosque invehitur dicens: Revelatur enim ira Dei de celo etc. Sed quoniam de remuneratione[c] Dei, que bipertita est, induxerat, primum agit de remuneratione pene, deinde infra de retributione premii prosequens ordinem nature, quia, ut dictum est, remuneratio pene iam precessit remunerationem premii, sicut et in fine precedet.

Continuatio: Vere revelatur iustitia Dei in eo, quia "ira", id est iusta Dei vindicta a parte. Et est hoc[d] nomen ab hominibus, qui ex ira et animi turbatione suas iniurias vindicare solent, ad designandam divinam ultionem translatum, cum Deus tamen in ipsa ultione ab omni motu penitus sit alienus.

---

[a] fidem] fide
[b] ut dictum est] *inter lineas*
[c] remuneratione] remunatione
[d] hoc] *inter lineas*

---

[53] Habac. 2,4

"De celo" ad differentiam falsorum deorum. Vel "de celo", id est ex prelatis ecclesie, in quibus se Deus ulciscitur, qui sunt quasi celum inter homines. Vel "de celo", id est ex ruina angelorum, in quibus Deus opera non remuneravit ad penam, sed solam voluntatem, cum nulla opera in eis essent. "Super omnem impietatem". Impium esse plus est quam iniustum esse. Impius enim proprie dicitur, qui scienter contra Deum agit. Impietatem iam hoc loco ad iudeos refert, qui et lege scripta et lege naturali rei tenebantur; iniustitiam vero ad gentiles, qui contra legem naturalem tantum peccabant. Quod autem dicit *super,* Deum in vindictis suis prevalere et superiorem esse ostendit. Multi enim vindicare volunt, qui tamen quod volunt, ad effectum non perducunt. Super iniustitiam hominum, dico, sed eorum precipue, "qui veritatem Dei" id est qui, cum veram de Deo habeant cognitionem, tamen ei propter iniquitatem obedire nolunt.

Ad hoc posset dici: Veramne de Deo notitiam habuerunt? Revera. Quia, "quod notum est Dei", id est illa notitia, quam modo de Deo habemus vel de unitate vel de trinitate, sed de incarnatione nichil, "manifesta est" non solum, dico, ilis, sed etiam "in illis", id est per illos aliis. Et vere manifestum, quia "Deus illis revelavit". Et vere revelavit, quia sic, per sua videlicet opera. Sicut enim pictores boni per suas picturas, etsi non videantur, cognoscuntur, sic et ille pictor maximus, quamvis invisibilis, per hanc suam picturam, id est mundum, a philosophis cognitus est. In quo IIIa distinxerunt. Unde Plato noym et mentem a Deo natam et animam omnia replentem predicabat.[54] Ex eo enim, quod Deum tam magna fecisse considerabant, eum potentem esse cognoscebant. In tanta vero pulcritudine vel tam[a] consona rerum ordinatione summam eius sollertiam attendebant. In eo vero, quod omnia ad usus humanos tam commode disponebat, eum summo benignum esse animad-

[a] tam] *inter lineas*

[54] Plato, Timaeus 34 c. sqq. Cff. Macrobium, *In somnium Scipionis,* lib. 2 c. 2. (edit. Biponti, 1788, p. 126).

vertebant. Et hoc est "invisibilia enim". [18*]Per hoc nomen designatur Spiritus Sanctus hoc loco, id est benignitas, quia nomen, quod spiritalem naturam designat, ei specialiter assignatur. Pluraliter vero dicit propter sua effecta. Unde semptem spiritus sepe appellatur, mobilis etiam et discurrens iuxta illud: unicus et multiplex, mobilis, immobilis et discurrens. Nomine vero virtutis designatur Filius id est Dei sapientia. Unde alibi apostolus Christum Dei virtutem et sapientiam appellat, eo videlicet, quod summa eius sollertia omnia, de quacumque sint materia, firma tamen in suo genere efficit et fortia. Unde singula opera Dei laudabilia sunt. Si enim, ut dicit Boetius[55] in cathegorico sillogismo, sollers fuerit compositio domus, si etiam de debili fiat materia, laudabilis est.[19*] Si vero minus cauta fuerit quam oporteat, ipsa tamen, etsi de forti fiat materia, imbecillis est et infirma. Divinitatis vero vocabulo Pater significatur, cum tamen utraque aliarum personarum Deus sit eo videlicet, quod a Deo habent esse. Unde, ut aiunt sancti doctores, Patri nomen divinitatis precipue assignatur.[20*]

Aliud etiam videtur apostolus velle philosophos intellexisse non solum videlicet distinctionem personarum, sed earumdem etiam processionem, quomodo scilicet re una permanente tria diversa in ea monstrari poterant. Quod in

---

[55] *De syllogismo categorico* lib 2 (PL 64,809 BC). Non ad verbum.

[18*] Ad sequentia cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 4 (PL 178,858 D); *Theologia* lib. 1 c. 10 (PL 178,991 C sqq.); *Sententiae Hermanni* c. 5 sq. (PL 178,1701 C. sqq.); *Sent. Flor.* 4; *Sent. Rol.* 21 sq.

[19*] Cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 1 c. 1 (PL 178,803C: Debile quippe atque invalidum opus est, quod solerter factum non est.

[20*] Praeter loca in nota 18* allegata cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 1 c. 1 (PL 178,803 CD). Verbis in nota 19* citatis immediate sequuntur haec: Divinitas vero hoc loco pro maiestate divinae potentiae accipitur, quae specialiter ex nomine Patris, sicut reor, innuitur. Deus quippe teste Isidoro Θεός, id est timor, interpretatur et potestas quaelibet timor est subiectorum. Unde merito nomine Dei sive divinitatis id est deitatis divina specialiter exprimitur potentia.

operibus hominum veluti in sigillo competenter assignaverunt. Cum enim sigillum cere imprimitur, sunt ibi tria: es scilicet, sigillum et sigillans, que, cum sint una et eadem substantia, sigillum tamen ex ere est, sigillans vero ex sigillo et ere[21*]

|| Et hoc est "quod notum est Dei", id est quod nos modo 106r
de Deo scimus, quomodo videlicet una et eadem re permanente tria in Deo possunt distingui. "Invisibilia" id est septiformis gratia.

"A creatura mundi", non videlicet per creaturam, sed "per ea, que facta sunt",[a] a nobis in ea. "Evanuerunt" ad modum fumi, qui quanto altius consurgit, tanto amplius evanescit. Sic et illi quanto se maiores apud se habebant, tanto apud Deum minores erant.

"Gloriam" id est illum honorem, quem creatori debebant. "Incorruptibilis", qui corrumpi non[b] potest. "In similitudinem imaginis", intransitive. "Propter quod", scilicet quia Deum noluerunt glorificare, "tradidit", non dico solum: permisit, sed etiam impegit offendiculum ponendo, ut iustum erat. "In desideria", id est ita, ut, quod male voluerunt, opere etiam complerent. "Ut afficiant", id est affligant, quia in talibus quedam vis nature infertur, cum membra videlicet hominis ad talem usum non sint parata. "Creature", id est diabolo in ipsis idolis. 'Et" ita "mercedem", id est penam illum errorem consequentem, illicitos videlicet motus, unde mens interior turbata erat et commota. "Et sicut", id est quia, "probaverunt", id est laudaverunt vel voluerunt, "in reprobum sensum" id est perversam existimationem.[c] "Repletos omni iniquitate", id est ita plenos omni iniquitate, quod singulis vitiis refertos, quod per partes iniquitatis ostendit. "Non intellexerunt", id est attenderunt. "Con-

---

[a] sunt] *inter lineas*
[b] non] *inter lineas*
[c] existimationem] existimastionem

[21*] Cf. Abaelard., *Theologia* lib. 2 c. 14 sq. (PL 178,1073 B sq.); *Sent. Herm.* c. 17 (PL 178, 1720 B sq.); *Sent. Flor.* 5,7,8.—*Abaelardi Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 1 c. 1 (PL 178,804 CD) habet exemplum statuae aereae.

sentiunt". Illos dicimus consentire, qui non impediunt, cum possint et debeant.

De idolatria in parte iam gentes arguit. Sed queritur, quid idolatram faciat. Ad quod dicitur, quod omnis, qui reverentiam aliquam formis exibet existimans hunc meliorem crucifixum quam illum, et Deum in hoc loco magis propitium esse propter hunc crucifixum quam in illo propter illum, idolatra est. In quibus crucifixis rustici maximam habent fiduciam. Unde greci melius fecerunt, qui memoriam dominice passionis in solis picturis retinuerunt, ut, quemadmodum littere litteratis, sic et laicis picture servirent. Quippe quanto expressiores forme lineamentorum sunt in ipsis crucifixis quam in picturis, tanto amplius simplices capiuntur, qui etiam in ipsis quedam vitalia esse existimant.

[Cap. 2.]

"Propter quod". A speciali invectione contra gentiles transit ad generalem tam in gentiles quam in iudeos, quasi dicat: Quia vos, gentiles, inexcusabiles estis, de quibus minus videbatur, propter quod, "o homo omnis", qui "iudicas", id est qui iudicium rationis habes—propter parvulos hoc dicit—vere inexcusabilis, quia "in quo alterum iudicas", id est dignum dampnatione censes, "condempnas" id est condempnabilem facis. Quare? Quia "eadem" etc. "iudicas", id est reprehendis. Vere condempnas te ipsum, quia nos sumus "iudicium", id est iusta Dei vindicta. "Secundum veritatem", non secundum opinionem sicut humanum iudicium, nos, inquam, scimus. "Autem" id est sed, o homo, "existimas" etc. Non solum, dico, existimas, sed etiam "an contempnis", quod peius est, quasi dicat: re vera.

Queritur, quomodo Deus dicatur habere patientiam erga illum, cum nullo modo possit aliter facere quam faciat.[22*] Ad quod dicitur, quod aliter accipitur in Deo patientia quam in nobis sicut et misericordia, que dicitur in homine quedam animi conpassio vel motus erga aliquem. Omnia enim huiusmodi vocabula translata sunt[a] ad Deum secundum aliquam fortasse similitudinem.

"Ad penitentiam". Penitentia vel fructuosa, que et filialis dicitur ex amore veniens, vel infructuosa, quam et servilem dicimus, que ex timore procedit, qualis fuit Jude penitentia. "Thesaurizas", id est accumulas, "iram", id est vindictam Dei saltem revelandam "in die ire", quod exponit dicens: "et", id est, "revelationis",[b] quando scilicet omnia, que ad-

[a] sunt] *inter lineas*
[b] revelationis] revelatiois

[22*] Cf. Abaelard., *Theologia* lib. 3 c. 5 (PL 178,1093 D sqq.); *Sent. Herm.* c. 20 (PL 178,1724 D sqq.); *Sent. Flor.*, 11; *Sent. Rol.*, 49 sqq.

huc latent, revelabuntur.[23*] Illud enim iudicium non erit in accusatione vel defensione superinductis testibus, sed, quod a Deo ab ęterno dispositum est, erit omnibus revelatum. Et quamvis singulis diebus iudicetur homo, cum seculum exeat, ille tamen dies dicitur dies iudicii, quia illud iudicium extremum erit nec aliud ei succedet. Sed quantum duret dies ille, soli Deo notum est. Dicunt enim sancti, quod dies ibi pro tempore accipitur. Et in illa revelatione electorum sive reproborum quidam de electis erunt, qui iudicabunt, quidam iudicabuntur. De reprobis vero quidam iudicabuntur, quidam non iudicabuntur. Electi autem iudicabunt, ut Petrus, Paulus, quia, cum ad iudicium venerit cum filio Dei, ex tanta gloria illorum apparebit, quanta pena digni sint, qui eos persecuti sunt nec predicationi eorum adquieverunt, sicuti Nero et alii, qui a sanctis iudicabuntur. Illi vero electi iudicabuntur, id est revelabuntur, qui erunt in penis purgatoriis, quos tamen omnibus manifestum erit quandoque salvari et in gloriam assumi; pro quibus in ecclesia orandum est, ut Deus eorum penas adbreviet et eos assumat. Perfecti enim non habent opus orationibus nostris, que nec reprobis quicquam proficient, quorum illi non iudicabuntur, de quibus hic etiam constat, sicuti iudei perversi et ceteri, qui Christum suscipere nolunt.

"Iusti iudicii", id est iuste remunerationis, que scilicet secundum iustitiam erit. Quod exponit dicens: "qui reddet secundum opera", id est quantum ipse debet. Iustitia enim est unicuique reddere, quod suum est,[55a] non suum accipientis, sed tribuentis, quia et bonos, preterquam meruerunt, remunerabit et malos minus quam meruerint puniet, quia miserationes eius super omnia opera eius.

"His quidem". Quid quibus reddet, ostendit. "Secundum patientiam", id est perseverantiam, quia, qui ad Deum ten-

---

[55a] Justinianus, *Institutiones,* I 1 (Corpus Iuris Civilis I 1 Berolini [1902] 1).

[23*] Ad sequentia cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 1 c. 2 (PL 178, 810 C sqq.).

dunt, cum via arta sit et angusta, euntes oportet, ut sint patientes, ne in via deficiant. Sed ad inferas facilis est transitus, ad quas via ducit declivis, in carnalibus scilicet voluptatibus.

"Gloriam et honorem", id est gloriosum honorem, qui in anima erit, que coequabitur angelice nature.

"Incorruptionem" id est inmortalitatem, qua corpus induetur.

"Querentibus", id est, qui in omnibus, que faciunt, Deum finem constituunt.

"Qui ex contentione", id est, qui scienter veritati resistunt. Quod exponit dicens: "et qui non" etc. "Ira", talis videlicet, quod indignabuntur contra Deum volentes eum non esse, a quo sic cruciantur. Et eternum Dei odium in cordibus habebunt et ideo pena erit ęterna. Quibus dicetur: Discedite a me, qui operamini,[55b] non: qui operati estis, quia adhuc ad secula vellent redire et nequitiam excercere. "Tribulatio", sed talis, que erit angustia, in qua scilicet nullum erit refrigerium. Sed sancti, quamvis tribulationem patiantur, habent tamen consolatium magnum, quos Deus consolatur in cordibus dicens passiones huius temporis momentaneas nec esse condignas ad futuram gloriam, quam ipsi expectant. Unde spalmista: In tribulatione mea dilatasti michi.[56] Illi vero nec etiam spem evadendi habebunt iuxta illud: Et in miseriis non subsistent.[57]

"In omnem animam", quia corpus minime punitur, cum non sentiat. Licet enim vitia quedam corporalia dicuntur, sunt tamen anime et non corporis. Sed ideo corporis dicuntur, quia per corpus exercentur ut luxuria, potus nimius. Spiritalia vero sunt ut odium, que sine corpore exerceri possunt. "Operantis malum", id est perseverantis in malo. "Iudei primum et greci", id est maxime, quia plus de Deo cognoverunt.

[55b] Matth. 7,23
[56] Psalm. 4,2.
[57] Psalm. 139,11

"Gratia autem". Cum iam de utraque remuneratione egerit, repetit de illa, que est ad premium, ut eos attrahat et alliciat et eam in mentibus eorum infigat.

"Et pax", que tanta erit, quod nullum etiam motum animi fideles patientur. De qua dictum est: Et pax Domini, que exsuperat omnem sensum.[58]

"Iudeo", dico,[a] primum operanti et postmodum "greco".

Cum iam dictum sit, quod anima sola penam sentiat vel gloriam accipiat, queritur, [24*]quomodo intelligendum sit, quod electi duplicem stolam habebunt, mali vero duplicem contritionem. Ad quod dicimus, quod anime reproborum quasdam penas sine corporibus etiam patiuntur, quasdam vero non nisi cum ipsis. Unde resumptis corporibus dupliciter cruciantur. Anime vero electorum etsi magnam gloriam sine corporibus habeant, resumptis tamen corporibus augmentantur,[b] cum multo amplius suum creatorem diligent attendentes tantam potentiam illius, qui de tam infirmis vasculis, que etiam morsu musce vel pulicis quandam lesionem suscipiebant, tam firma et solida et penitus indissolubilia fecerit.

"Non enim". Ostensa remuneratione Dei, que vel ad penam est vel ad gloriam, ad hoc, quod aliquis diceret, quod videlicet aliter iudicaret Deus reges, aliter rusticos, respondet quasi dicat: Bene dixi: in omnem animam hominis operantis malum,[59] quia "non est acceptio" etc. id est in illo iudicio non pensabit dignitatem personarum, sed conscientias ipsas, imo gravius potentes punibit, qui alios suo exemplo invitare debuerint nec fecerint. Hinc est illud Petri,
106v qui ait: Non est || Deus acceptor personarum, sed in omni gente, qui timet Deum, acceptus est ei.[60] Nec tamen contra

---

[a] dico] *inter lineas*
[b] augmentantur] augmentatur

---

[58] Philipp. 4,7
[59] Rom. 2,9.
[60] Act. 10,34 sq.

[24*] Ad sequentia cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 1 c. 2 (PL 178,812 C sqq.)

Deum facimus, quamvis potestates reverentius suscipimus et meliores cibos eis paramus quam pauperibus, nec peccamus, si in Deo finem ponimus. Sed in eo ipso pauperibus etiam providetur, cum divites et potentes allicimus, ut illi id provideant, illam ecclesiam visitent, cui postmodum infinitam pecuniam conferunt, unde pauperes multi sustentari possunt.

Vere non est acceptor, quia "quicumque sine lege", scilicet scripta, "peribunt sine lege", id est dampnabuntur non rei suscepte legis, quia nullam susceperunt. Et "quicumque in lege", scilicet suscepta.

Nota, quod illos, qui videntur esse magis excusabiles, qui sine lege sunt, perire dicit; eos vero, qui legem habent et dupliciter peccant, iudicari. Quod minus videtur. Sed tamen quadam exaggeratione plus dicit de illis, cum dicat: "iudicabuntur", id est manifesta omnibus vindicta punientur. Cum videlicet non solum contra rationem fecerint, sed etiam contra scriptum, vere iudicabuntur. Vel vere susceptio legis non sufficit,[a] quia "auditores" etc. Auditores legis dicuntur, qui, cum legem susceperint, legi minime obediunt. Sed "factores legis". Videtur contrarium esse, quod alibi dicit, quod videlicet nemo ex operibus legis iustificatur.[61] Sed non est. Quippe non dicit, quod factores legis iustificantur, sed iustificabuntur. Cum enim lex sit[b] imperfecta, que nichil de dilectione inimici docet, si quis tamen illis preceptis inperfectis obedierit, Deus ei inspirabit, quicquid est necessarium.

Vere iustificabuntur, quia gentes. Et vere gentes, quia, cum "gentes" etc. "naturaliter", id est ratione. "Ipsi sibi lex", id est prestant sibi ducatum ex ratione tamquam ex lege.

"Scriptum". Quidam dicuntur audire legem, qui legem non retinent. Alii vero in cordibus legem habent scriptam, qui

---

[a] vel vere—sufficit] *inter lineas*
[b] sit] sint

---

[61] Rom. 3,20

in obedientia legis perseverant, quia, quod scribitur, permanet.

"Testimonium reddente", id est faciente eos securos, quia Deum finem constituunt.

"Et inter se". [25*]Due sunt hic littere: vel ablativi plurales vel genitivi. De ablativis sic legitur: *et* est expositio prioris, quasi dicat: "et" id est "cogitationibus" habitis "invicem inter se" iuxta illud: Quod tibi vis fieri, alii facito,[61a] vel: "Quod non vis tibi fieri, alii non facias.[61b] Cum enim aliquis asinum alterius in messe sua inveniret, cogitabat apud se, an illum interficeret, sed sic tandem dimittebat. Cogitationibus, dico, accusantibus "aut etiam defendentibus" apud Deum scilicet, qui voluntates pensat et non opera. De genitivis sic, sed est eadem sententia: *et* est ostensio, unde conscientia reddat eos securos de cogitationibus scilicet et non de operibus, quasi dicat: conscientia, dico, non operum, "et", id est sed, "cogitationum"—cetera non mutantur—accusantium, dico, vel defendentium "in die" id est in predicta Dei examinatione, que dicitur in die fieri et non in nocte, quia omnia, ut supra meminimus, penitus revelata erunt. "Occulta," id est cogitationes,[a] non manifesta, id est opera.

Et hoc secundum "ewangelium", id est predicationem meam, in qua sum differens ab aliis. Unus enim melius predicat quam alius, promptior videlicet de singulis rationes reddere. Nemo tamen dicit: baptismus meus, cum eque tam per mundos quam per immundos operetur gratia divina, quod suum est.

Iudicabit, dico, et hoc "per Jhesum Christum", quoniam omne iudicium[b] datum est Filio. Quippe, ex quo verbum incarnatum est, omnis salus hominis vel dampnatio ex incar-

---

[a] cogitationes] cogitones
[b] iudicium] *inter lineas*

[61a] Matth. 7,12
[61b] Tob. 4,16

[25*] Ad sequentia cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 1 c. 2 (PL 178 815 C—816 B).

natione pendet. Sicut enim qui credunt, salvantur, sic, qui resistunt, dampnantur. Illi etiam, qui incarnationem precesserunt, in hac fide, quam habemus de Christo, salvati sunt.

"Tu autem". Hic in iudeos invectionem facit, quos vehementer arguit, et, quanto de Deo plus noverint, tanto inexcusabiliores reddit, cum videlicet gentes, que aliquid excusationis habere videntur, que legem non susceperunt, in duobus tamen preceptis rationis, que sunt: quod vobis vultis fieri, o homines, aliis facite, et que vobis fieri non vultis, alteri ne faciatis, factores[a] legis extiterunt, sicuti Job et alii multi, qui seipsis pensabant in predictis mandatis naturalis legis, an facerent necne. Unde iudei, qui utrumque habebant, rationem scilicet et legem scriptam, penitus inexcusabiles convincuntur. In quos invehitur dicens: "Tu autem", quasi dicat: Gentilis qui legem non sucepit, legem tamen implevit. "Autem", id est sed, "tu", scilicet, iudeę, "cognominaris iudeus", id est trahis nomen a cognatione, a nominis proprietate remotus et omnino alienus. Non dicit: es iudeus, quia solum nomen querebant, non nominis proprietatem. De quibus in apocalipsi dicitur: iudeos se faciunt, sed non sunt,[61c] id est de nomine gloriantur, sed veritatem nominis non appetunt. De quibus infra apostolus: Non qui in manifesto iudeus est etc.[62] A Juda autem primo rege iudei nomen ad gloriam susceperunt, qui tipum Christi gerebat. De quo dictum est: Laudabunt te fratres tui etc.[63] Ab illo igitur dicit eos[b] esse cognominatos, quia de solo nomine, ut dictum est, gloriantes de vero iudaismo non curabant, ab illo videlicet rege, qui Juda verus est per Judam designatus penitus separati,[c] quem in facie Pilati negantes dicebant: Non habemus regem nisi Cesarem.[64]

Et "requiescis in lege", ita scilicet, quod non est opus tibi

---

[a] factores] factoris
[b] eos] *inter lineas*
[c] penitus separati] *inter lineas*

[61c] Apoc. 2,9
[62] Rom. 2,28
[63] Gen. 49,8
[64] Joh. 19,15

vagari, ut queras, quid faciendum sit, cum hoc pre oculis habeas.

"Gloriaris in Deo", de lege videlicet suscepta, dicens te a Deo eligi tamquam populum peculiarem.

"Nosti", scilicet melius quam ceteri utramque legem habens. "Utiliora," scilicet non utilia, et hoc "per legem", que hec magis commendabat, illa minus, hec minus puniendo, illa magis. "Confidis te" etc. Inculcatio verborum est ad augmentum increpationis. "Scientie et veritatis", id est vere scientie, que vera dicitur ad differentiam aliarum scientiarum, que in artibus sunt, que ad Deum non ducunt. Et non dicit habentem veram scientiam, sed formam vere scientie, quia per hanc scientiam imago Dei, que in nobis per peccatum deformata est, resignari potest et ad priorem redire statum.

"Qui ergo", quasi dicat: quia omnia ista a Deo habes: "ergo qui doces". "Sacrilegium". Sacrilegium est sacre rei violatio, quam iudei faciebant, qui ex avaritia oves et cetera animalia, mensas etiam nummulariorum in templo Dei habebant, ut qui in[a] templum irent, invenirent, quid offerrent, illis etiam dicentibus: Ecce omnia, quare non offertis? In corpore quoque Domini fecerunt sacrilegium, quod cruci affixerunt.

"Inhonoras", id est Deo dedecus infers. Sicut enim dominus, qui habet bonam familiam et bene ordinatam, laudatur, sic econtra dominus, cuius familia se inordinate habet, blasphematur. Unde gentes blasphemabant[b] Deum iudeorum dicentes non esse bonum, qui tales elegit lecatores iuxta illud: Nomen sanctum meum polluistis inter gentes,[65] id est derisioni fecistis haberi.

"Circumcisio". De lege abstulit eis gloriationem, que potius est illis ad dampnationem quam ad salutem. Idem de circumcisione facit, de qua permultum gloriabantur. Et loquitur secundum statum legis dicens: "circumcisio" etc.

---

[a] in] *om.*

[b] blasphemabant] blasphebant

---

[65] Rom. 2,24; Is. 52,5; Ezech. 36,20.

id est circumcisio, de qua precipue gloriaris, tibi profuit, si legi obedieris. Vel ad tempus apostoli potest referri sic: "circumcisio" etc., id est, si ipsa est observantia legis, hoc est spiritualis, "preputium facta est", id est non magis prodest tibi, quam si preputiatus non esses.

26*Debetis scire, quod eandem efficaciam circumcisio habuit in lege quam baptismus in ewangelio, quamvis baptizatis statim aditus regni pateat. Qui et circumcisis pateret, sed nondum erat immolata hostia. Non enim patet nisi transeuntibus per mare, quod baptismum designat, et rubrum, qui rubor passionem Domini significat. Quippe nonnulli ante passionem Domini baptizati sunt predicante Domino, qui tamen ad inferas ibant. Sed ex quo passio Domini baptismati apposita est, statim patuit regnum. Nec tamen melior fuit baptismus quam prius, sicuti nummus unus, qui alii additus valet ad aliquid emendum, quod per se non faceret; non est tamen maioris pretii, quam ante fuerit.

27*De circumcisione autem hoc loco querendum est, quare data sit, quando data est, vel quare eam prius dari non fuerit necessarium, vel quare adveniente Domino cessavit.

Fideles primum per mundum dispersi erant nec certum locum habebant, quos nondum aliquo precepto sacramenti oportuit constringi nec aliquid eis interdici, cum adhuc societas gentium eis esset necessaria. Alioquin enim de mundo exirent. Postmodum vero, cum Domino placuerit fideles suos in unum congregare et[a] quandam civitatem de eis statuere, dictum est Abrahe: Eggredere[b] de cognatione tua et vade in terram Palestinam et faciam te in gentem

[a] et] *inter lineas*
[b] Eggredere] Eggrede

26* Ad sequentia cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 4 (PL 178,844 A sq.); *Sent. Herm.* c. 28 (PL 178,1738 D); *Sent. Flor.* 23.

27* Ad sequentia cf. Abaelard., *Sermo* III, *In circumcisione* (PL 178, 398 B sq., 402 A sqq.); *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 4 (PL 178,843 B sqq.); *Dialogus inter philosophum, iudaeum et christianum* (PL 178,1623 A sqq.); *Sent. Flor.*, 22; *Sent. Rol.*, 14 sq.

magnam.[66] Ex quo tempore necessarium fuit aliquod preceptum tradi, ut tam loco quam vite conversatione fideles ab infidelibus separarentur. Et ideo Dominus ex tunc precepit Abrahe[a] circumcidi, ne fideles cum infidelibus contrahendo matrimonium, quod multum allicit homines, facile ad idolatriam redirent, ut videlicet ex una parte fideles membrum, in quo quasi sigillum Domini esset, cum infidelibus polluere recusarent, ex alia vero parte infideles cum illis quasi detruncatis permisceri abhorrerent. Aliam etiam maceriam postea interposuit Dominus, ut quemadmodum eos a matrimonio infidelium separavit, sic etiam a communione mense separaret. Unde eis ab Egipto eggressis interdixit quosdam cibos et delicatiores[b] ut carnes porcinas, ut mensam cum illis non haberent
107r communem. || [28*]Illa vero omnia Christo adveniente cessare voluit Dominus, ut et[c] omnem gloriationem iudeis auferret et facilius gentiles ad fidem vocaret, ad quam nullo modo accedere vellent durantibus illis parietibus, qui cause erant inimicitiarum inter illos, ne eis iudei improperarent dicentes: Iam ad nos venistis; iam nostra sacramenta suscepistis. Ideo et novum et perfectius instituit sacramentum, quod tam feminis quam maribus competeret, cum prius maribus tantum preceptum fuerit. In membro autem propagationis, ubi regnat concupiscentia,[b] voluit Dominus fieri circumcisionem, ut insinuaret, quicquid ex illo membro nasceretur, originali peccato subiacere. Adam vero, nisi peccaret, filios Deo sine concupiscentia generaret. Sed post lapsum senserunt concupiscentiam et veniente Domino folia ficus acceperunt, ut pudenda, que prius non tegebant, tege-

[a] Abrahe] *inter lineas*
[b] delicatiores] *correctum ex* delicationes
[c] et] *inter lineas*
[d] concupiscentia] *inter lineas supra* copia

[66] Gen. 12,1.

[28*] Ad sequentia cf. Abaelard., Sermo III, In circumcisione (PL 178, 403 A sqq.); *Sent. Herm.* c. 28 (PL 178,1738 D sq.); *Sent. Flor.*, 23; *Sent. Rol.* 196 sq.

rent. Quippe in puero idem[a] contingit, cuius genitalia eque pulcrum est videre sicuti faciem illius; sed postquam ad annos venit et concupiscentiam sentit, et ipsum monstrare pudor detinet et alterum speculari, eo quod, quicquid ex illo membro nascitur, in peccato nasci recordamur. Brutorum vero genitalia, eo quod sine peccato coeunt, eque semper se visui prebent. [29*]Sed mulieri, que seducta erat, dictum est: in dolore filios tuos paries;[67] viro vero, qui consensit: in sudore vultus tui vesceris pane tuo[68] in cuius etiam membro quasi ad augmentum laboris institutum est sacramentum circumcisionis predicta de causa. Mulieri vero non est[b] precepta circumcisio, quia de muliere nasciturus erat, qui erat sine peccato.

[30*]Spiritalem autem circumcisionem hoc sacramentum significabat, ut videlicet, quicumque salvari vellent, a veteri homine reciderentur in novum, qui sine peccato natus est, transferendi.

"Si igitur preputium". Dictum est in proximo versiculo, quod, qui circumcisus est, si non legem observat, non plus ei valet circumcisio, quam si circumcisus non esset. Inde infert a contrariis sic, quod videlicet, qui circumcisus non est, si legem custodit, eque valebit ei, acsi circumcisus esset. Et hoc est "Si igitur" etc.

"Iustitias legis", id est precepta legis et non quelibet, sed ea, que iustificant, sicut precepta de dilectione Dei et proximi, que naturaliter omnes habent tam iudei quam gentes sicut

---

[a] idem] *inter lineas*
[b] est] *inter lineas*

---

[67] Gen. 3,16
[68] Gen. 3,19

[29*] Ad sequentia cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 4 (PL 178,844 C); *Dialogus inter philosophum, iudaeum et christianum* (PL 178,1624 D); Sent. Flor., 22.

[30*] Ad sequentia cf. Abaelard., *Sermo* III, *In circumcisione Domini* (PL 178,398 D); *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 4 (PL 178, 843 C sq.); *Dialogus inter philosophum, iudaeum et christianum* (PL 178,1624 B sq.); *Sent. Flor.*, 22; *Sent. Rol.*, 197.

Job. Moralia enim precepta, que lex continebat,[a] omnibus communia erant, que etiam aliis cessantibus adhuc tenemus, ut: Non occides,[69] id est non presumes interficere, quia aliter stare non potest, cum ibidem dicatur: non sines malitiosum vivere; adulteram lapidabis. Ille autem presumit interficere, qui potestatem non habet, vel, cum potestatem habeat, non propter Deum facit, sed ut ire sue satisfaciat. De quibus dictum est: omnis, qui accipit gladium, gladio peribit.[70] Quippe Deum etiam interfectionis finem statuere debemus iuxta illud legis: Michi vindicta,[71] id est sic vindicate, ut ego potius vindicem in vobis quam vos. Sic etiam exponitur: Non furtum facies,[72] id est non presumes furari. Certum enim iudeos vasa Egiptiorum surripuisse, nec tamen peccasse.

"Reputabitur?", quasi dicat: re vera. "Et consummans, id est implens ea, in quibus est legis consumatio ex ratione. Unde dicitur: Omnia mandata in hoc verbo restaurantur: Diliges Deum etc.,[73] quod gentiles naturaliter faciebant.[b] Et hoc est, quod scilicet consumare legem "ex natura" est.

Nonne 'iudicabit te", id est ostendet te reum, cum ipse, qui naturalem legem tantum habet, legem impleat, tu vero, qui utrumque habes, non custodias. Quasi dicat: re vera te dico, qui per "litteram et circumcisionem", id est per circumcisionem, quam non intelligis spiritualem, sed secundum quod littera sonat, cui adheres, que te occidit. Judei enim in exterioribus penitus occupati mandatis, que multa erant, moralia, que pauca habebant, omnino non attenderunt et sic facti sunt legis prevaricatores. Dicunt enim,[c] quod, si exteriora impleverint, quecumque sit voluntas, salvabuntur. "Non enim". Vere iudicabit te, qui ita in exterioribus

---

[a] que lex continebat] *inter lineas*
[b] faciebant] faciebat
[c] enim] *inter lineas*

---

[69] Exod. 20,13
[70] Matth. 26,52
[71] Rom. 12,19
[72] Exod. 20,15
[73] Matth. 22,37 sq.; Deut. 6,5.

occuparis. Quia "non est" etc. vere indeus, scilicet de genere Jude. Non enim in semine computantur, nisi qui imitantur eum in fide.

"In manifesto", qui hec exteriora servat, que nullatenus verum iudaismum conferunt. "In abscondito", id est, que interius est, qua scilicet anima a vitiis circumciditur. "Circumcisio cordis", de qua dicitur: Scindite corda vestra.[74] "In spiritu", id est per gratiam. "Non littera," id est non secundum litteram intellecta. "Non ex hominibus", quia homo de interioribus iudicare non potest, sed solus Deus, qui in abscondito videt probator cordium et renum.

---

[74] Joel 2,13

[Cap. 3.]

"Quid ergo". Quia dixerat opera legis exteriora non esse ad salutem, posset aliquis dicere: Quid igitur iudeis magis quam aliis nationibus contulerit Deus, qui eos tamquam populum peculiarem elegit? Hanc questionem movet, ut eam solvat. Et hoc est "quid ergo amplius", scilicet collatum est.

"Multum per omnem modum" id est et in commodis corporalibus et in spiritualibus. Unde illud: Non fecit taliter omni nationi;[75] etiam iudicia sua non manifestavit eis.[76]

"Credita". Bene dicit: credita, quia eloquia Dei sicut moralia precepta omnia ab illis tamquam iniustis possessoribus ad nos gentes transierunt micas habentes, id est interiora, relinquentes exteriora illis.

"Quid enim". Bene dico per omnem modum, id est in corpore et in anima, quia "quid est" circa hoc, quod dico, "si quidam" etc., id est reprobi facti sunt.

"Numquid incredulitas" etc., id est numquid per incredulitatem istorum fides ceterorum evacuata est.

"Est autem". Vere non est evacuata fides sicut nec promissio, quia Deus "verax", id est constans est in proposito sue sponsionis. "Omnis autem". Deus est verax, sed "omnis homo mendax", id est potens mentiri id est peccare, quod ideo subiungit, ut divina constantia ex nostra infirmitate commendetur.[a]

[31*]Queritur, an id verum sit de homine assumpto. Ita, dicimus, quia peccare potuit sicut ceteri homines. Quippe cum, quicquid habuit, per gratiam habuerit, non ex natura, potuit

[a] id est peccare—commendetur] *in margine*

[75] Psalm. 147,20
[76] Psalm. 147,20

[31*] Ad sequentia cf. *Abaelard., Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 1 c. 3 (PL 178,825 B sqq.); *Sent. Flor.* 18 sq.

non habere, quod habet. Christus tamen peccare non potuit, quia Christus nomen est unionis.

[32*]"Ut iustificeris". Quod autem Deus constans sit in proposito sue veracitatis, per David ostendit, qui, cum graviter peccaverit, prodendo videlicet, interficiendo, adulterando, Deus tamen tribuit, quod promisit, licet iustum fuerit, quod promisit, ei non tribuisse. Si enim aliquid alicui promisero et ipse tale quid fecerit, unde iustum sit me non implere, quod promisi, si non dedero, non sum mee sponsionis reus. Sed apostolus ut breviloquus quandam partem ponit, que ex superioribus pendet, illius videlicet psalmi penitentialis, in quo David more sollertis oratoris captans benevolentiam volendo se Deo reconciliari ad Deum loquitur dicens: "Tibi soli peccavi",[77] id est ad honorem tui, quia licet graviter deliquerim, tamen non respiciens ad iniquitatem meam, sed ad constantiam tue veracitatis reddes, quod promisisti. "Coram te feci",[78] id est te sciente. Et tamen tribues, "ut"[79] videlicet "iustificeris" id est appareas iustus.[a] "Vincas", id est reddas convictos et mendaces eos homines, qui quasi iudicantes dicunt te michi non daturum, quod promiseras, quia adeo graviter peccavi. "Si autem". Aliam movet questionem sub persona alterius ex eo, quod in proximo dictum est, quod videlicet ad gloriam Dei fiunt peccata. Quasi dicat: Sed "quid dicemus" "iustitiam", id est constantiam veracitatis divine, que reddit singulis, quod suum est, id est, quod ipse debet, plus conferens iusto quam meruerit, minus puniens malos quam merita exigant, ut miserationes eius sint super omnia opera eius.

"Numquid iniquus". Ecce questio. "Qui infert iram", id est, qui ex eo irascitur, quod fit ad gloriam eius. "Secundum hominem". Ne videretur hec questio apostoli esse, dicit,

---

[a] iustificeris—iustus] *inter lineas*

---

[77] Psalm. 50,6
[78] Psalm. 50,6
[79] Psalm. 50,6

[32*] Ad sequentia cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 1 c. 3 (PL 178,824 C. sqq.).

cuius est, scilicet carnalis hominis, id est animalis hominis, qui non percipit, que Dei sunt,[a] qui dictis apostolorum depravabat, qui dicebant omnia ad gloriam Dei fieri. Quod ipsi[b] in contrarium convertentes[c] astruebant secundum apostolos Deum iniquum esse oportere, qui peccata puniebat,[d] cum ea ad gloriam illius fierent. "Absit", silicet, quod Deus sit iniquus, qui infert iram, quia, quamvis peccata puniat, que fiunt ad gloriam eius, ea tamen intentione non faciunt homines,[e] ut ad gloriam Dei fiant, sed ut sue pravitati satisfaciant. Ut sicut de illo Britone factum est, qui nocte fimum dispersit.

"Alioquin". Vere non est iniquus, quia alioquin, id est, si[f] aliter esset, scilicet, si Deus esset iniquus. "Quomodo" etc. "Si enim". Istud adhuc respicit[g] ad predictam questionem carnalium, qui dicebant Deum iniquum esse, qui peccata punit, cum ad glorificationem eius fiant, quasi dicat: bene queritur, an Deus iniquus fuerit, qui infert iram, quia, "si veritas Dei", id est constantia divine veracitatis, "habundavit in gloriam eius" id est glorificata est "in meo mendacio" id est in meo peccato. Mendacium dicitur peccatum, quia, sicut, qui mentitur, a veritate recedit, sic, qui peccat, a Christo, qui veritas dicitur, deviat.

"Quid adhuc", id est non solum dico, quid punit peccata mea, sed etiam quid "adhuc" etc., qui videlicet facio ea, unde glorificatur.

"Et" quid "non faciamus" etc. Faciamus, dico, "sicut blasfemamur' 'etc. "Quorum dapnatio iusta", quia scienter contra nos id dicunt ex invidia, ut predicationi nostre minus assentiatur.

"Quid igitur". Graves invectiones hucusque fecerat tam in iudeos quam gentes et utrosque inexcusabiles reddidit. Unde

---

[a] qui—sunt] *inter lineas*
[b] ipsi] ipse
[c] convertentes] *correctum ex* convertens
[d] puniebat] puniebant
[e] homines] *inter lineas*
[f] si] *inter lineas*
[g] respicit] *supra* pertinet

ad hoc, quod possent dicere, quid de te ipso dicis, qui ita alios accusas, questionem movet dicens: "Quid igitur", scilicet de nobis dicemus.

"Precellimus", id est habemus aliquam dignitatem ex nobis, unde illos precellamus? Quasi dicat: Non. Et hoc est "nequaquam". Quod apparet ex predictis, quia "causati sumus", id est in causam traximus.

"Iudeos et grecos", et hoc non duos vel IIIes, sed "omnes". Et ita nos inexcusabiles convicimus sicut et vos, ostendendo scilicet omnes "sub peccato esse".

|| Quod autem dicit: sub peccato, notat eos ita sub iugo 107v
peccati gravatos, quod non nisi subveniente gratia surgere poterant.

"Sicut scriptum est". Quod omnes sint sub peccato, per testimonia probat, que, ut dicit Origenes,[80] de diversis scripturis sumpta sunt, quedam de spalmis, quedam de prophetiis, que tamen in nostro psalterio reperiuntur, licet in ebraica veritate non sint, quia translatores nostri psalterii, quod de greco in latinum translatum est, non invenientes istos versus ibi, putabant deesse. Quos ideo ab apostolo hoc loco assumpserunt.

"Non est iustus", id est, qui reddit unicuique, quod suum est, sive ante legem sive in lege vel post. "Usque ad unum" id est donec Christo uniatur et commebrum eius fiat.[a]

"Requirens" per orationes. "Declinaverunt" a Deo. "Inutiles facti", nichil scilicet facientes, quod esset eis ad salutem. Et cum mali essent, non suffecit eis solos perire, nisi alios secum traherent tamquam in excusationem sue malitie. Et hoc est, quod supponit "Sepulcrum patens est guttur". Guttur vocamus verba illorum persuasoria in gutture formata, que aliis erant sepulcra patentia, quibus videlicet alios corrumpebant more sepulcri patentis, quod fetore sui cadaveris vicina corrumpit. Et, quia possent alios corrumpere, sed non[b] contra conscientiam, ideo

---

[a] fiat] *sequitur vacuum tertiae partis lineae*
[b] non] *inter lineas*

---

[80] Origenes, *Comment. in epist. ad Rom.* lib. 3 (PG 14,929 sq.).

ad exaugerationem ponit: "Linguis suis dolose agebant", id est scienter peccabant persuadendo aliis, quod minime approbabant. Rursus, possent scienter peccare, sed remissibiliter. Ideo subiungit: "venenum aspidum". Per venenum aspidum, quod insanabile est,[a] accipitur peccatum inremissibile, quod fit in Spiritum Sanctum, quo tenebantur iudei. Quippe, licet sciebant Christum non posse facere signa, que faciebat, nisi Deus fuerit cum eo, pre cupiditate tamen, ne Romani tollerent eis locum et gentem, dicebant eum in Belzebub demonia eicere,[81] ut sic saltem populum ab eo avellerent et ita scienter Spiritum Sanctum, quem sciebant in Christo operari, diabolum appellabant. Quod peccatum numquam remittetur, quamvis tamen remitti possit, quia in Spiritum Sanctum peccatur. Peccatum vero in Filium est remissibile, quod alius ewangelista[82] proprie blasphemiam vocat. Est enim in Filium peccare derogare dignitati illius veluti excellentie nativitatis eius, credendo videlicet non de virgine natum esse, cuius nativitas ita obumbrata erat per contractum matrimonium, ut filius Joseph diceretur. Quod tamen si quis crediderit, si cetera, que ad salutem sunt, fecerit, non ei ad dampnationem imputatur. "Maledictione et amaritudine", id est amara maledictione. Est enim maledictio amara, est et dulcis. Dulcis est, que fit ad correctionem per dilectionem, que fit ab ecclesia, que quandoque alicui maledicit, ut ab errore resipiscat. Unde apostolus: tradere huiusmodi satane etc.[83] Amara est, que fit per odium, qualis fuit illa iudeorum maledictio, qui ei, qui cecus erat, maledicebant dicentes: Tu de discipulis[b] eius sis; nos discipuli Moysi sumus.[84]

"Pedes eorum", id est affectus vel voluntates, quibus quasi quibusdam pedibus deferuntur homines. "Veloces" id est prone "ad effundendum sanguinem", etsi facere non possent

[a] quod insanabile est] *inter lineas*
[b] discipulis] discipulus

[81] Matth. 12,27; Luc. 11,18 sq.
[82] Matth. 12,31 sq.
[83] 1 Cor. 5,5.
[84] Joh. 9,28

vel, si possent, timore pene dimitterent. Et ideo "contritio et infelicitas", id est infelix contritio, que scilicet anime est. "In viis", id est operibus. "Viam pacis", id est Christum. "Non est timor", sed potius hominis, quod minus est. Multi enim sunt, qui timore principis cum filia sua dormire dimitterent, quos tamen timor divinus[a] minime retineret.

"Scimus autem". Per predicta testimonia convicit omnes tam iudeos quam gentes sub peccato esse. Sed ne iudei dicerent, quod hec testimonia ad se non pertinerent, sed ad gentes, subiungit hoc etiam de eis dictum esse, quasi dicat: bene dixi omnes sub peccato teneri per predictas auctoritates, quia nos apostoli, qui Spiritum Sanctum habemus, "scimus, quoniam quecumque lex loquitur," precipue de "his, qui". Et ad hoc de his loquitur, ut "omne os", non solum scilicet gentilium, qui aliquid excusationis habent, sed et iudeorum "obstruatur", scilicet obstrusum sit, ne omnino habeant, unde se excusent.

Sed "omnis mundus subditus", id est recognoscens omnia a Deo et nichil ex se, quasi dicat: non solum obstrusi sint, sed etiam obedientes.

"Quia ex operibus". Ad gloriationem legis auferendam quibusdam[b] interpositis redit ostendens de lege non esse gloriandum, in cuius operibus precipua eorum erat gloria, ut in circumcisione et in ceteris observantiis, ex quibus monstrat neminem iustificari, sed ex fide Christi. Quasi dicat: Vere omne os obstruitur, quia "ex operibus legis", de quibus suma iudeorum gloriatio erat, "omnis caro non iustificabitur", id est nullus homo iustificatur "coram Deo", quia coram hominibus iustificatur homo propter illa exteriora, qui mentem non[c] vident; sed Deus aliter iudicat, qui voluntates considerat.

"Per legem enim" vere non iustificatur, quia per legem cognoscitur solummodo, quid faciendum sit, quid non, hec precipiendo, illa prohibendo; sed ad perfectum nichil perduxit. "Nunc autem". Ex operibus legis nemo iustificatur.

---

[a] divinus] *inter lineas*

[b] quibusdam] dam *inter lin.*

[c] non] *inter lineas*

"Autem", id est sed. "Nunc", id est in ewangelio. "Iustitia Dei", id est dilectio Dei, que sola hominem iustificat, precipue "manifestata", et hoc "sine lege", id est operibus legis. Iustitia, dico, "testificata a lege", ut ibi: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et proximum sicut teipsum.[85] "Et prophetis", ut: Si retribuam retribuentibus michi mala[86] etc., Si esurierit inimicus[87] etc. [33*]Ille diligit Deum ex toto corde et proximum sicut se, qui unicuique, quod suum est, qui videlicet plus quam se Deum diligit et hoc propter se Deum, non propter aliquod commodum, quod ab eo expectet, sed quia summe benignus, sume bonus est; et qui bene vult proximo, sed ita, ut videlicet meliori melius velit et unicuique secundum statum suum, quod et sibi, fieri vellet, si in illo statu virtutis esset. Debeo enim cuilibet homini melius velle quam fratri meo, quam patri etiam, si melior fuerit; non tamen tantam exhibitionem dilectionis in temporibus illi, quantam et illis impendere. Dominus enim quamvis Petrum et Johannem equaliter diligeret, iste tamen plus a Deo diligi dicitur, id est maior cura Johanni quasi adolescenti, qui nuper a nuptiis extractus erat, quam Petro, qui erat homo maturus et providus, a Domino exhiberi. Unde dicitur et inter ceteros magis dilectus.

"Iustitia autem Dei". Determinat, per quid iustitia Dei manifestata sit. Et ideo repetit dicens: "iustitia Dei", dico, manifestata per "fidem Jhesu Christi", que scilicet fides vel que iustitia est "super omnes", id est in superiore parte hominis tam gentilis quam iudei. Vel "super omnes", quia hoc donum desuper collatum est.

"Qui credunt", quasi dicat: per fidem, dico, sed non per quamlibet, imo per eam, qua creditur in eum. [34*]Est enim

[85] Matth. 22,37; Deut. 6,5
[86] Psalm. 7,5
[87] Proverb. 25,21

[33*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 5 c. 13 (PL 178,948 D sqq.), lib. 3 c. 7 (PL 178,891 A sqq.).—*Sent. Herm.* c. 32 (PL 178,1748 C. sqq.); *Sent. Rol.*, 319 sq.

[34*] Cf. Abaelard., *Expositio symboli, quod dicitur apostolorum* (PL 178,621 B sqq.) Cf. etiam ad quaestionem A. Landgraf, "Die Er-

aliud credere Deum, aliud Deo, aliud in[a] Deum. Credere namque Deum est Deum esse existimare. Deo vero credere non est aliud quam, quod dicimus nos cuilibet homini credere. Sed credere in Deum est Deum diligere et diligendo ad hoc tendere, ut ei incorporetur, id est membrum illius efficiatur. Debemus et in Christum credere, id est Christum diligere et diligendo tendere, ut membra illius efficiamur.[b] Dicitur etiam in simbolo[88] in ecclesiam catholicam credere,[35*] quod non est aliud quam Christum amare et amando tendere, ut simus membra corporis eius, quod est ecclesia, cuius corporis ipse caput est.

Queritur, an in personam illam, que ex divina natura et humana iuncta est, credendum sit.—Ita.

Quod astruit, quia super omnia diligenda est: ergo super Deum, non sequitur, quia Deus non est aliud ab illa, cuius pars est divinitas. Sicut enim nec domum habere et parietem, est habere ideo plura vel || aliud habere, sic Christum 108r
id est personam illam et Deum diligere non est plura vel aliud diligere. [36*]Que tamen persona Deus non dicitur, quia nullum compositum Deus est, qui est res simplex. Est tamen

[a] in] *inter lineas*
[b] efficiamur] efficiamus

[88] Symbolum apostolicum. H. Denzinger, *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum.* (Nr. 2.)

kenntnis der heiligmachenden Gnade in der Frühscholastik" *Scholastik* (Freiburg i. Br.) 3 (1928): 39; G. Englhardt, *Die Entwicklung der dogmatischen Glaubenspsychologie in der mittelalterlichen Scholastik* (Beiträge zur Geschichte der Philosophie und Theologie des Mittelalters. Band XXX Heft 4-6) Münster i. W. (1933), 47 sq.

[35*] Cf. Abaelard., *Expositio symboli, quod dicitur apostolorum* (PL 178,628 D sq.). Cf. etiam Gandulphus, *Flores Sententiarum*, Cod. Bamberg. Patr. 130/2 fol. 134; *Glosa anonyma* ad 3 dist. 23, Cod. Paris. Mazarin. 758 fol. 122; Gaufridi Pictaviensis *Summa*, Cod. Brug. lat. 220 fol. 74.

[36*] Cf. P. Ruf et M. Grabmann, *Ein neuaufgefundenes Bruchstück der Apologie Abaelards* (Sitzungsberichte der Bayerischen Akademie der Wissenschaften. Philosophisch-historische Abteilung. Jahrgang 1930 Heft 5), München (1930), 10: Quod neque deus et homo neque hec persona, que Christus est, sit tertia persona in trinitate.

illa persona sumum bonum dicenda et per omnia Patri equalis. Non enim aurum aliquod per se consideratum plus valet quam unitum ex feno et ex illo auro, nec minus valet compositum ex feno et auro, quod in feno ponitur, quam ipsum aurum, quod est pars illius.

"Non enim". Bene dixi: super omnes, nullum vel iudeum vel gentilem excipiens, quia in hac Dei benignitate "non est distinctio". Omnibus enim gratiam suam proponit, sicut et omnes peccaverunt. Et hoc est, quod subdit: "Omnes enim peccaverunt" et ideo omnes "egent gloria Dei", id est bonitate, unde Deus precipue glorificatur; de qua in spalmo: Confitemini Domino, quoniam bonus,[89] id est laudate. Hec enim confessio laudis, que invitat nos ad glorificationem divine bonitatis. Ubi vero terrentur homines, de iustitia Dei fit mentio hoc pacto: Timete Deum, quia iustus est.

"Iustificati". Quasi dicat: Illi, dico, qui scilicet egent gloria Dei. "Iustificati gratis", id est sine meritis, "per gratiam ipsius", id est per amorem nobis infusum. Caritas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.[90] Et hoc "per redemptionem, que in Christo", id est per mortem Domini nostri Jhesu Christi, qua redempti sumus a peccato.

"Quem", scilicet Christum, "Deus", scilicet Pater, "proposuit", id est ab eterno statuit "propitiationem", id est reconciliatorem, qui videlicet nos Deo per unionem humanitatis et divinitatis reconciliaret et nobis Deum propitium redderet. Illa enim unio divine nature et humane significat concordiam Dei et hominis. Proposuit, dico, et hoc modo, scilicet "in sanguine", id est per mortem eius, et hoc "per fidem", quia, si moreretur et nos non crederemus, non prodesset nobis.

"Ad ostensionem". Quare Deus hoc modo reconciliationem nostram prepararit, docet. Ideo videlicet, ut nobis exhiberet, quanta eius fuerit erga nos dilectio, ut et eum super omnia diligeremus et sic nobis peccata remitteret. Et hoc est "ad

---

89 Psalm. 105,1
90 Rom. 5,5

ostensionem iustitie s[ue]", id est ad manifestandam iustitiam suam, id est dilectionem, ut et nobis eum super omnia diligentibus postremo peccata remitteret. Et hoc est "propter remissionem precedentium peccatorum", id est cotidianorum, que scilicet remissio fit "in sustentatione", id est per longam Dei patientiam. Si enim Deus, cum peccamus, nobis non parceret, numquam ad remissionem veniremus.
"Ad ostensionem". Repetit, ut ad cuius iustitie divine ostensionem factum sit, ostendat, scilicet "ad ostensionem iustitie eius" id est, que manifesta est in hoc tempore gratie.
"Ut sit". Ita, inquam, proposuit, "ut sit ipse iustus", id est ab ipsa conceptione ab omni peccato perseveret immunis et postmodum sit "iustificans", id est, ut mundus immundum purget et iustificet eum, scilicet "qui est ex fide", qua videlicet in ipsum creditur.

[37*]De modo redemptionis hoc loco videndum est: que fuerit videlicet ratio in hoc redemptionis modo, et a quo redempti sumus, quis redemit et cui pretium datum sit.

Dicunt quidam,[91] quod Deus Pater, ut hominem, quem diabolus captivum tenebat, liberaret, misit Filium suum incarnari. Homo enim, inquiunt, per illam obedientiam de ligno vite, quam diabolo exhibuit, factus est servus eius. A cuius servitute[a] et potestate ut Deus eum redimeret, ad liberationem hominis, qui aliter, ut aiunt, liberari non potuit, filius eius carnem assumpsit, ut, cum in eum presumeret, qui ab omni peccato erat immunis, id iuris, quod in hominem habebat, statim amitteret.
Sed hos parum, immo nichil penitus dixisse dicimus. Quomodo enim diabolus ex eo, quod homini suggesserit, potestatem vel dominium in servum domini sui accipere meruit, qui potius, si quid potestatis in eum prius habuerit, cum ea

[a] servitute] servitate

[91] Cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Romanos* lib. 2 c. 3 (PL 178, 833-836).

[37*] Ad sequentia cf. Abaelard., *Expositio in epistolam Pauli* ad Rom. lib. 2 c. 3 (PL 178,833 D sqq.); *Sent. Herm.*, c 33 (PL 178,1730 B sqq.); *Sent. Flor.*, 14 sqq.; *Sent. Rol.*, 157 sq.

abusus fuerit, merito caderet potestate. Si quis enim duos servos habet et prohibet alteri adulterium, si ille persuasu alterius illud fecerit,[a] numquid transit in servum illius? Immo potius uterque graviter puniendus est et qui suggessit fieri, quod fieri non conveniebat, et qui fecit, quod eum facere minime oportebat.

Rursus, si eam, quam dicunt, potestatem post lapsum in hominem habuit, quomodo a Domino illius liberari potuit, qui nec pretium accepit nec accipere voluit. Constat enim illam hostiam, que pro homine oblata est, Deo Patri, non diabolo immolatam esse. Rursus, etsi diabolus id iuris in hominem acceperit, sed homo aliter liberari non potuit, Deus propter occisionem Filii magis quam propter primam inobedientiam homini irasci debuit et hoc gravius punire quam illud. Si vero diabolo tamquam carcerario suo vel tortori Deus hominem post peccatum tradidit—quod tamen non credimus, quia, qui diabolum cruciat, ille idem hominem punit—potuit Deus, cum vellet, eum a penis liberare et, ne diabolus eum amplius torqueret, diabolo etiam non reclamante, cum placeret, peccata ei dimittere, sicut Marie Magdalene et paralitico per tegulas emisso ante passionem peccata eum remisisse legimus et credimus.

Beatus igitur Augustinus[92] dicit, quod, cum multi modi essent redemptionis, iste erat convenientior. Unde et Deum, qui summe bonus est, convenientiorem eligere oportuit. Cuius ratio hec est, ut nos videlicet in dilectionem Dei accenderet et sic a servitute, non dico diaboli, sed peccati nos liberaret. Aliam enim servitutem in homine nescit apostolus, qui ait: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.[93] Peccatum enim, cum prius hospes esset, pedetentim hominem sibi alliciens postremo de hospite per diutinam et perversam consuetudinem in regem transivit. More regis perversi, qui, ut Saul rex fecit, primum allicit populum, deinde securior magis et magis illum opprimit, ut, cum prius posset ei re-

---

[a] fecerit] *inter lineas*

---

[92] Augustinus, *De Trinitate* lib. 13 c. 10 n. 13 (PL 42,1024).
[93] Rom. 6,12

sistere, quando ei assensit, tandem, quod etiam non vult, facere cogatur; sic et peccatum paulatim homines convicit et omnino subiugavit, ut eos etiam, quod nollent, facere cogeret iuxta illud: Non enim, quod volo, ago.[94] Sed hoc regnum vel servitutem destruxit Deus per dilectionem Dei in nobis excitatam et accensam per illam summam efficaciam dilectionis, quam nobis exhibuit per mortem Filii sui, qua maiorem homo habere non potest ipsa veritate testante, que ait: Maiorem caritatem[a] nemo habet, quam quod animam suam ponat pro amicis suis;[95] ut amplius, si peccemus, peccatum, sine quo vita nostra non ducitur, in nobis sit hospes et non habeat regnum.[b]

Rationem autem huiusmodi redemptionis ipsa veritas patenter insinuat dicens: Ignem veni mittere in terram et quid volo, nisi ut ardeat?[96] Deus enim more boni agricultoris quosdam furnellos venit in terra facere, que prius arida fructus non faciebat, id est in cordibus terrenis, que vitiorum ariditate oppressa erant, ut de terrenis spiritualia fierent. Hinc et apostolus: Diffusa est caritas Dei in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.[97] Ut quid enim Christus pro impiis mortuus est? Acsi diceret: Propter aliud non est mortuus, nisi ut suum amorem nobis infunderet et dilataret,[c] ea videlicet dilectionis efficacia, qua maiorem nemo habet.

[38*]Sed queritur, quomodo propter hoc Deus magis sit diligendus, qui nullam videlicet lesionem passionis accipere potest, cum anima sola passa sit.

---

[a] caritatem] *inter lineas;* dilectio *deletum*
[b] ut amplius—regnum] *inter lineas et in margine*
[c] et dilataret] *inter lineas*

---

[94] Rom. 7,15
[95] Joh. 15,13: Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.
[96] Luc. 12,49
[97] Rom. 5,5 sq.

[38*] Cf. Abaelard., *Expositio symboli, quod dicitur apostolorum* (PL 178,624 C sq.).

Ad quod dicimus, quod Deus precipue propter hoc diligendus est, per quem totum factum est, qui etiam in illa passione animam unitam sibi in unam habebat personam, faciens scilicet, quod potuit. Et ideo ei totum imputandum est, sicut quicquid servus per dominum facit, maxime domino ascribendum est.

Per hunc itaque modum redemptionis non solum in nobis[a] dilatata est caritas, sed etiam in eo ipso nobis providit divina sollertia, ut nos a vitiis et a superbia precipue nos conservaret, et ut diabolus, ut iustum erat, inde magis cruciaretur.

Ad conservationem autem nostram a vitiis per humilitatem magna est providentia, ne de illo summo beneficio Dei superbiamus. Sed, ut, quicquid pro Deo facimus, in comparatione passionis dominice nichil esse inveniatur—universe enim passiones vel contumelie ad passionem Domini nichil sunt, quem flagellatum, colaphizatum et, quod summum erat[b] dedecus, sputis undique oblitum et spinis usque ad cerebrum infixis coronatum tandem crucifixerunt. Sed
108v tantas || contumelias ante[c] passionem crucis sustinuit, quod, ex quo crucifixus est, statim emisit spiritum. Unde invenientes eum iam mortuum non fregerunt ei crura. De qua passione dictum est: Venite ad me omnes, qui transitis per viam, et videte, si est dolor sicut dolor meus.[98] Quippe, cum alii patiuntur, meruerunt, iste vero, qui vehementiores passiones sustinuit, ab omni peccato immunis erat. Hunc itaque Deus in medio proposuit, ne habeat, quid dicat, Vincentius, quid dicat, Laurentius, sed quicquid fecerint, quasi nichil esse reputent et ad[d] Christum respicientes tanto amplius humilientur. De quibus in Ezechiele dicitur: Et cum vox super firmamentum audita est, statim animalia

---

[a] in nobis] *inter lineas*
[b] erat] *inter lineas*
[c] ante] nte *inter lineas*
[d] ad] *inter lineas*

---

[98] Thren. 1,12

demittebant pennas suas.[99] Hec autem animalia sancti sunt, quorum penne sunt virtutes, que ferunt ad celestia. Qui omnes in predicatione dominice passionis suas passiones vel agones[a] et, quicquid egerint, pro nichilo habent. Que a Deo omnibus proposita est, ut ad Christum respiciamus, ne forte ad minores respicientes de bonis nostris superbiamus. Unde apostolus: Que post me sunt, relinquo et in anteriora tendo.[100] Hinc enim diabolus, qui ad maiorem se non respexit, sed ad inferiores angelos, superbia captus cecidit. Sic et phariseus ad publicanum retorquens oculum a iustitia deviavit dicens: Domine, non sum sicut ceteri hominum nec etiam sicut iste publicanus.[101] Hac etiam de causa monachi in capitulis suis habent dominice crucis imaginem, ut, qui subeunt verbera, ad memoriam dominicam passionem reducentes, quicquid patiuntur, vel libentius tolerent vel potius nichil esse iudicent.

Ad augmentum etiam, ut diximus, pene diaboli factum est, ut, cum viderit eum, quem prius vicit suggerendo inobedientiam et quem socium habebat[b], adeo sublimatum, plurimum crucietur et doleat. Cuius et invidentia, ut quodam loco dicitur, de celo lapsus est.[102] Qui et locum illum, unde lapsus est, tandem restaurabit non solum in merito, ut beatus dicit Augustinus,[103] longe precellens, sed et in numero.

Sed tamen, etsi angelus numquam caderet, nichilominus crearetur homo, qui modo locum illius supplebit super angelicam etiam naturam sublimandus—non est enim aliqua creatura, ut dicit beatus Jeronimus,[104] erga quam tantum affectum habeat Deus—propter quem omnia ista fecit et dedit

[a] vel agones] *inter lineas*
[b] et quem—habebat] *inter lineas*

[99] Ezech. 1,25: Nam, cum fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant et submittebant alas suas.
[100] Phil. 3,13: Quae quidem retro sunt, obliviscens, ad ea vero, quae sunt priora, extendens meipsum.
[101] Luc. 18,11
[102] Luc. 10,18
[103] Cf. Augustinus, *Enchiridion* c. 29 (PL 40,246); *De civitate Dei* lib. 22 c. 1 (PL 41,751).
[104] Cf. Hieronymus, *Adversus Jovinianum* lib. 2 c. 5 (PL 23, 303).

et non[a] propter angelos, quibus necessaria non sunt, qui etiam habet spiritus administratorios[105] et sui conservatores. Unde et melius custoditum quam custodientem diligit, quem tandem super angelos exaltabit. Parvum est enim angelos aliis non consensisse cadentibus, cum homines, nedum mulieres, que adeo sunt imbecillis nature ut Agnes vel Agatha, propter tantos cruciatus a divino amore nequaquam separari potuerunt.

Preterea in hoc redemptionis modo divina bonitas se ipsam quodam modo decipere voluit, que talem illum hominem preparavit, quod dignum erat illam tribuere, quicquid ipse postularet, qui vehementius Deum diligebat. De quo dicit apostolus: Et pro reverentia sua exauditus est.[106] Ille vero, ut propter proximum oraret, lege erat constrictus et ligatus, que dicebat: Diliges proximum tuum sicut te.[107]

"Ubi est ergo". Dictum est in proximo, quod iustitia est ex fide Jhesu Christi et non ex operibus legis. Inde infert sic, quasi dicat: Quia non est ex operibus legis iustitia, sed ex fide Christi, "ergo ubi est gloris tua," id est quid gloriaris de lege suscepta. "Exclusa est", id est remota est, scilicet non inde gloriandum est. "Factorum", id est per aliqua exteriora, que lex precipiat. "Per legem fidei", id est per fidem, qua creditur in Deum, de qua est hec preceptio a Domino: Creditis in Deum, et in me credite,[108] que scilicet fides sine dilectione Dei non habetur.

"Arbitramur enim". Vere per fidem exclusa est, quia nos "arbitramur", non scilicet opinamur, sed iudicamus "hominem iustificari" etc.

"An iudeorum". Vere per fidem sine operibus legis, quia "an iudeorum, imo et gentium". Color rethoricus, qui correctio dicitur. Vere et gentium, "quoniam unus circumcisionem", id est circumcisos, "preputium" id est gentes, que preputiate erant.

---

[a] non] *inter lineas*

---

[105] Hebr. 1,14
[106] Hebr. 5,7
[107] Matth. 22,37; Deut. 6,5
[108] Joh. 14,1

Ex fide et per fidem, ut dicit beatus Augustinus,[109] idem significat, sed quedam curialitas in sermone servata est.
"Legem ergo". Quia dixerat ex fide iustificari hominem et non ex operibus legis, posset ei obici, quod nulla lex amplius[a] esset necessaria, postquam homines salvantur ex fide. Id ipse obicit dicens: "ergo destruimus legem", id est removemus omnem preceptionem, quasi nulla amplius necessaria esset, et hoc "per fidem", id est propterea, quod ex fide est salvatio. "Legem statuimus", id est firmam ponimus, illam videlicet dominicam preceptionem de fide, que dicta est: Creditis in Deum, et in me credite.[110] Quam scilicet nondum dilectio Dei comitatur, de qua dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde et proximum tuum sicut te.[111] Vel aliter: "legem ergo", quasi dicat: Quia arbitramur hominem salvari ex fide sine operibus legis,[112] "ergo destruimus legem". Ille destruit legem, qui eam non inclinat ad id, quod in ea figuratum est. Ille vero statuit, qui eam, ad quod debet, accomodat.

Et sciendum, quod circumcisio et cetera legis gravamina non solum propter predictas causas precepta sunt, sed ut tempus gratie gratius esset et commendabilius illis oneribus importabilibus remotis, que nemo servare potuit. Quis enim sustinuit dentem pro dente dare[113] etc. Quod etiam Petrus apostolus testatur dicens: Quid vultis nobis onus imponere, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus?[114] In quibus gravaminibus removendis precipue laborabat apostolus. Et ideo a falsis fratribus, qui circumcisionem quasi primum fundamentum sacramentorum cum ewangelio tenere volebant, vehementes contumelias sustinebat. In quo-

[a] amplius] *inter lineas*

[109] Augustinus, *De spiritu et littera* lib. 1 c. 29 n. 50 (PL 44,231): Non ad aliquam differentiam dictum est, tanquam aliud sit *ex fide* et aliud *per fidem*, sed ad varietatem locutionis.

[110] Joh. 14,1

[111] Matth. 22,37; Deut. 6,5

[112] Rom. 3,28

[113] Exod. 21,24; Levit. 24,20.

[114] Act. 15,10

rum etiam simulationem ductus est Petrus, qui ad ritus iudaicos removendos non erat ita paratus rationes reddere. Unde cum iudeis manens[a] iudaice vivebat, cum gentibus gentiliter. Sed cum vidissem, inquit apostolus, quod non recte ambulabat ad veritatem ewangelii, restiti ei in faciem,[115] quia reprehensibilis erat, et dixi Cephe coram omnibus: Tu, cum iudeus sis, iudaice et non gentiliter vivis; quomodo cogis gentes iudaizare?[116] Has itaque legales observantias precipue removit apostolus, qui de singulis rationes erat presto reddere, que ideo precepte erant, ut tandem honere illo importabili[b] remoto amplius placeret ewangelium.

---

[a] manens] *inter lineas; add. et del.:* erat
[b] importabili] *correctum ex* impossibili

---

[115] Gal. 2,11
[116] Gal. 2,14

[Cap. 4.]

"Quid ergo". Quia dixerat non quemquam iustificari ex operibus legis, posset obici, quod Abraham ex circumcisione iustificatus est, qui tale quid fecit pro Deo,[a] quod mirabile est in oculis hominum. Hanc autem obiectionem prevenit, ut eum nullam iustificationem ex circumcisione recepisse ostendat.

Continuatio. Quia neminem ex operibus legis iustificari dicimus, sed ex fide, "ergo quid", scilicet iustificationis, "secundum carnem", id est carnalem circumcisionem, vel qui est pater noster secundum carnem. "Quid iustificationis" in circumcisione ,subaudis. Quasi dicat: nichil. Et secundum priorem sententiam accipitur pater pro doctore, quia Abraham omnibus propositus est, ut sit pater omnium in exemplo fidei. Unde apostolus: Filioli mei,[117] quos iterum parturio ac iterum, quos in Christo genui.

"Si enim". Vere nichil, quia, "si ex operibus legis iustificatus", id est reputatus iustus, hec utique reputatio ab hominibus est, qui exteriora mirantur, et non a Deo, qui interiora attendit. Et hoc est "habet gloriam", scilicet apud homines. "Credidit Deo", id est credendo assensit Deo in omnibus.

"Ei autem", quasi dicat: Bene dico, quod apud homines gloriam habet, quia ei, "qui operatur", id est hec exteriora facit, "merces non imputatur", scilicet ab hominibus "secundum gratiam, sed secundum debitum", quasi debent homines. Hoc bene meruit.

"Ei vero". Quasi dicat: Ita est apud homines, sed apud Deum aliter est, quia "ei, qui etiam non operatur", id est

[a] pro Deo] *inter lineas*

[117] Gal. 4,19

non hec exteriora facit, "credenti autem" non eum vel ei, sed "in eum", ea videlicet fide, que est cum dilectione Dei.

"Secundum propositum gratie Dei", id est secundum hoc, quod divina benignitas proponit, que prius ad Abel respexit, deinde ad munera illius, quia Deo propter voluntatem placent opera, non propter opera voluntas. Si enim oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit.[118] Ad Chaim vero non respexit neque ad munera, quia, si oculus tuus fuerit nequam etc.[119] Homines autem aliter faciunt, qui prius ad munera, deinde ad hominem respectum habent et propter illud, quod minus est, id, quod maius est, pretiosum iudicant. Quibus homo propter munera placet, non munera propter hominem.

"Sicut David", id est, de qua benignitate David dicens describit "beatitudinem accepto", qui scilicet per se surgere non potest.

"Beati". Hic propheta triplex genus iustorum insinuat. [39*]Sunt enim quidam iusti, qui, cum peccata ingemiscant, preoccupati morte de peccatis non satisfaciunt. Quales sunt, qui in mari morte preventi in gemitu cordis de hac vita transeunt, qui, etsi parvos sacerdotes non habeant, magnus sacerdos eis occurrit, de quo dicitur: Ecce sacerdos magnus, qui suis fidelibus ubique assistit. Et hi, qui nullam satisfactionem vel minus quam debent, faciunt, in penis erunt purgatoriis, donec purgentur. Alii vero iusti sunt, qui post gemitum peccata tegunt, id est de peccatis satisfaciunt, nec in alia vita, quid in eis purgandum sit, habent, ut Petrus. Tertium vero genus beatorum, si genus dici potest, ad unum, id est ad Christum reducitur, qui, cum peccare non potuit, imo ab omni peccato fuit immunis,[a] de quo satisfaceret, non habuit, in quo nichil precessit, quod tegendum esset. Et hoc est "beati quorum": ecce quoddam genus beatorum, qui

[a] immunis] *add. et del.* fuit

[118] Matth. 6,22; Luc. 11,34
[119] Matth. 6,23; Luc. 11,34

[39*] Ad sequentia cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 4 (PL 178,841 B).

minus beati sunt. "Quorum tecta": ecce beatiores, qui non differuntur, sed statim patet eis ingressus. "Beatus vir": ecce beatissimus, quem virum vocat quasi fortem et omnibus vitiis resistentem, quia ceteri omnes effeminati sunt. De quo dicitur: Beatus vir, qui non abiit in consilio.[120] || 109r

[40*]Debetis scire, quod, ut supra diximus, cum apostolus in hac epistola merita hominum extenuet et gratiam Dei amplificet, gratia tamen Dei non evacuat merita in nobis nec merita gratiam Dei[a] impediunt. Sunt enim quedam bona in nobis ex sola gratia, nullis videlicet meritis prevenientibus ut ratio, fides, spes, que eque in reprobis sunt quam in electis. Est autem fides existimatio rerum non apparentium, id est sensibus non subiacentium. Spes vero expectatio adipiscendi commodi. Dilectio etiam Dei, quam habemus, ex sola gratia est nullo merito precedente. Ratio enim vel fides apud Deum non merentur, dilectio vero sola meritum habet, sive eam per aliqua Dei dona incitati habeamus sive etiam per nos possemus accipere. Multi enim sunt, qui alios propter dona sua diligunt, tamen[b] si omnia dona cessarent, nichilominus eos diligerent. Sic et nonnulli per dona Dei invitati postremo Deum propter se diligunt, ut, cum videlicet a mercenariis inceperint, in amicos desinant. Multi etiam sunt, qui de duobus alterum diligunt, quia honeste se habet sine omni expectatione comodi nec per aliqua dona illius invitati. Sic et Deum deberemus diligere, ut nec per aliqua eius munera, si esse posset, commoti nec aliquid commodi ab eo expectantes eum propter se solummodo, quia talis et talis est, summo amore complectamur.

[41*]Sunt et quedam bona in nobis, que merita sunt, que videlicet per dilectionem promeremur. Sed tamen omnia Dei

[a] Dei] *inter lineas*
[b] tamen] tandem

[120] Psalm. 1,1

[40*] Cf. Abaelard., *Theologia* lib. 1 c. 1 (PL 178, 981 D sqq.); *Sent. Herm.* c. 1 (PL 178,1695), c. 31 (PL 178,1747 C sq.); *Sent. Flor.*, 1; *Sent. Rol.*, 314 sq.
[41*] Cf. *Sent. Herm.* c. 34 (PL 178,1755 C sq.).

dona gratie Dei asscribenda sunt, vel gratie videlicet soli, ut ratio, fides, spes vel etiam dilectio, vel gratie Dei tamquam origini, ut illa bona, que postmodum per dilectionem habemus.

[42*]Queritur, quid sit meritum. Ad quod dicentes dicimus meritum esse id, quod quis meretur, non autem dilectionem, per quam meretur, imo illud, quod per dilectionem habetur, ut est vita ęterna.

[43*]Queritur, an aliquis hanc dilectionem habeat sine sacramentis ęcclesie. Ad quod iterum dicentes proponimus Cornelium in exemplum vel Paulum, qui zelo legis ęcclesiam Dei persequebatur. Sed tamen quicquis eam habet, asserimus Deum ei quandoque revelare, quicquid est necessarium, ut Cornelio, cuius elemosine exaudite sunt apud Deum, cui per Petrum revelatum est, quicquid erat necessarium, vel etiam Paulo, cui Deus in via se ipsum revelavit.[a]

"Hec ergo". Quasi dicat: Quia etiam illi beati sunt, qui opera non superaddunt, qui peccata non tegunt: ergo, o iudee, "est hec beatitudo tantum" etc., acsi diceret: non tantum.
"Dicimus enim". Ad hoc, quod dixerat: ei autem, qui non operatur, credenti in eum, qui[b] iustificat impium, reputatur fides ad iustitiam,[121] respicit istud, quasi dicat: vere reputatur, quia Abrahe. Et hoc est: "dicimus enim" etc. Et quia Abrahe reputata est, "quomodo ergo" etc., id est, an quando circumcisus erat vel quando preputiatus?

"Et signum". [44*]Posset aliquis querere, quare circumcisionem suscepit, cum propter iustitiam habendam non eam

[a] revelavit] *correctum ex* revelabat
[b] qui] *inter lineas*

[121] Rom. 4,5

[42*] Cf. *Sent. Herm.* c. 34 (PL 178,1754 C); Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 11 (PL 178,928 C).
[43*] Cf. Robert. de Meleduno, *In epist ad Gal.* (Cod. Paris. Nat. lat. 1977 fol. 124).
[44*] Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 4 (PL 178, 842 C).

susceperit. Ideo, quare susceperit, supponit, scilicet, non quod iustus esset per circumcisionem, sed ut circumcisio iustitie, quam iam habebat, sigillum esset. Sicut enim, quando res occultas latere volumus, saccum exterius per anulum sigillamus, illa exterior nota signum est occulte rei, que interius latet, sic et circumcisio signaculum fuit occulte rei id est iustitie, que in anima latebat.

Continuatio: Non accepit circumcisionem propter habendam iustitiam, "et" tamen "signum circumcisionis" id est circumcisionem, qua signatus erat, "accepit" non sine causa, sed signaculum, id est ideo accepit eam, ut esset signaculum etc., id est manifesta ostensio, "que est in preputio", id est, quam iam habebat scilicet preputiatus. Et hoc hac consideratione Dei,[a] ut "sit pater omnium credentium per preputium", id est ut preputiate gentes eum tamquam patrem imitentur in fide, alii vero in circumcisione. Quod exponit dicens: "non his tantum" etc.

Sic autem Abraham omnibus ad imitationem propositus est, qui et prima via credendi dicitur, non quia primus fidelis fuerit, quem Enoc et alii fideles precesserunt, sed prima, id est precipua, dicitur, quia maxime fides illius probata est. Unde, cum filium interficeret precepto Domini, dictum est ei: Nunc cognovi, quod timeas Deum,[122] id est cognitum feci. Abraham tamen, quamvis multos haberet filios, ut beatus Augustinus[123] dicit, meritum virginitatis habuit, sed ne legis postmodum date, quam per spiritum intelligebat, maledictioni subiaceret, matrimonium contraxit. Et quia pauci erant fideles, necessarium erat, ut Deo filios generaret. Et cum ei precepta fuerit circumcisio et semini eius, Ismael tamen in semine eius, a quo gentes descenderunt, reputatus non est. Unde dictum est: In Ysaac vocabitur tibi semen.[124] [45*]

---

[a] Dei] *inter lineas*

---

[122] Gen. 22,12
[123] Augustinus, *De bono coniugali* lib. 1 c. 21 (PL 40,391).
[124] Gen. 21,12

[45*] Cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 4 (PL 178,846 C sqq.).

"Non enim". Quia dixerat Abraham positum esse gentibus in exemplo fidei, diceret aliquis: Possuntne gentes per fidem salvari? Revera, quia ipse per fidem salvatus est. Quod ponit equipollenter, quia scilicet "promissio non est" per legem, id est per opera legis, quod videlicet omnes gentes in semine tuo benedicentur.[125]

"Iustitiam[a] fidei" id est per dilectionem, quam per fidem habebat. Et dicit iustitiam fidei ad differentiam legis, in qua quantum ad homines aliquid erat iustitie.

"Ut esset heres mundi", futuri scilicet. Vel de temporali promissione sic: "ut esset heres mundi", id est terre Palestine, quam vocat mundum propter affluentiam, quia omnia mundi bona habebat, terram scilicet lacte et melle manantem.[126]

"Si enim qui". Probat iterum gentes per fidem Abrahe salvari, quasi dicat: Vere salus est gentibus ex fide, quia, si illi, qui sunt "ex lege", id est, qui opera legis faciunt, "heredes sunt", scilicet heredes Dei, coheredes autem Christi, et non alii, "exinanita fides", id est efficacia fidei, scilicet dilectio 'exinanita", id est meritum non habet, videlicet in illis, qui opera legis non habent.

"Abolita est promissio", id est evacuata et cassa, cum illi careant, scilicet gentes, benedictione, quibus promissa est iuxta illud: In semine tuo benedicentur omnes gentes.[127]

"Lex enim". Probavit, quod ex fide iustitia est. Modo probat, quod ex lege non est, quia lex prevaricatorem potius facit quam iustum, que, ut dicit apostolus, nichil ad perfectum perduxit. Et hoc est: "lex enim operatur iram", id est prevaricatores, quibus Deus irascitur, quia, qui voto se obligat nec votum servat, reus est, et tamen, cum alius illud idem fecerit, non peccat.

Quod de ewangelio obicitur, falsum est, quia lex ad hoc data erat, ut nequitiam reprimeret et vindictas in illo populo

[a] iustitiam] iustificiam

[125] Gen. 26,4
[126] Exod. 3,8
[127] Gen. 26,4

dure cervicis exerceret, non ut iustificaret, quam, ut modo diximus, apostolus nichil ad perfectum perducere commemorat. Ewangelium vero est perfecta doctrina et sufficiens ad salutem, quod inimicum etiam diligere precipit, quod nusquam in lege preceptum erat.

Ut ergo promtior sit expositio, sic exponimus: Lex operatur iram, id est ad hoc data est, ut iram id est vindictam, exerceat in illo populo prevaricatore.

"Ideo". Quia videlicet ex lege non est iustitia, ideo ex fide diximus eam esse hac scilicet consideratione, "ut secundum gratiam", id est fidem, que est gratia, id est gratuitum donum Dei, vel "gratiam", id est dilectionem, que similiter confertur homini nullo merito preveniente.

"Firma", id est fixa, ne gentes videlicet, qui legem non habent, frustrentur ea, quibus similiter facta est. "Pater" scilicet in doctrina, ut supra diximus.

"Quia patrem". [46*] Hoc testimonium a Genesi[128] sumptum est. Quod dicit "posui", notat eum tractum esse per gratiam. Ante Deum est, qui Deo placet. Cum autem ante me debuerit dicere, ante Deum dicit, quasi de diverso loquatur, more videlicet scripture ebraice, que sic loqui solet. Unde illud Moysi, cum de se ipso loqueretur: Et erat Moyses mitissimus super omnes homines[129] Quod autem gentium dicitur, in Genesi non habetur, sed appositum est hic ab apostolo tamquam glosa.

"Qui vivificat". Quasi dicat: Bene potuit Deus Abraham patrem nostrum per fidem ad se trahere, ut de infideli fidelem faceret, qui de aliis hoc idem facit. Et hoc est "qui vivificat mortuos", id est infideles, qui mortui sunt, in anima dando eis fidem, qua in eum creditur.

"Et vocat". Probat a minori, quod mortuos vivificare potest, id est ea, que aliquem statum habent,[a] ad meliorem

[a] habent] *inter lineas*

[128] Gen. 17,4
[129] Num. 12,3

[46*] Cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 4 (PL 178,855 A).

trahere, quia ea, que non sunt, id est que nullum statum habent, ad aliquem revocat, "tamquam ea, que sunt", id est tamquam ea, que aliquem habent. Unde Baruc, notarius Jeremie: Vocavit stellas et dixerunt: ecce adsumus,[130] quod nichil aliud est, nisi quod statim omnia suo imperio obediunt.

"Qui contra". Deus promisit Abrahe ipsum esse patrem multarum gentium, quod merito postmodum implevit, quia ille ita credidit, quemadmodum ipse promisit. Et hoc est "qui credidit", ea videlicet fide, qua in Deum creditur, "ut fieret pater multarum gentium". [47*]Credidit, dico, et hoc "contra spem in spem". Abraham autem, cum esset senex nec haberet filium de Sara, dixit ei Sara, ut ingrederetur ad Agar ancillam suam. Volebat enim sic quodam modo filium habere quam omnino carere, ne legis maledictioni postmodum date subiaceret. Abraham autem ingressus est ad eam et genuit Ismaelem, in quo sperabat esse benedictionem omnium gentium, quem etiam filium Dominus ei promiserat. Sara vero postea irata est cum Agar et eiecit eam cum filio. Abraham cum moleste sustineret, dixit ei angelus: Sine eam facere, quod facit. De Sara enim habebis filium, in quo implebitur promissio tua.[131] Habuit ergo spem[a] contra
109v spem, quia cum primum || speraret se habere filium, in quo impleretur promissio, postmodum in altero filio illam inplendam esse credidit. Vel mirabiliori modo possumus dicere, quod contra spem in spem credidit, quia videlicet, cum ipse iuvenculus de Sara iuvencula speraret se habiturum filium, illa spe frustratus est. Sed tandem in senectute se filium habiturum sperabat de vetula, que spes priori contraria erat et quodammodo impossibilis, sed nichilominus ille credebat priore quamvis suggerente, ne crederet.

---

[a] spem] *speciem*

---

[130] Baruch. 3,35
[131] Gen. 21,8 sqq.

[47*] Cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 4 (PL 178,855 C sq.).

"Sicut stelle". [48*]Hic IIIes ordines hominum, qui sunt in ecclesia, insinuantur. Per stellam enim, que splendida est et calida, duo designantur. Per splendorem accipiuntur predicatores ecclesie, qui doctrina sua alios illuminant, de quibus dicitur: vos estis lux mundi.[132] Calor vero designat illos, qui fervidiores in amore Dei omnes istas amministrationes relinquunt, ut purius Deo vacare possint, quos contemplativos appellamus. Per harenam vero intelliguntur coniugati, qui semper sunt quasi in fluctu et sepe amari impelluntur; de quibus dicitur in Job: Diabolus dormit sub umbra calami in locis humentibus.[133]

"Et non est infirmatus". Quasi dicat: Quamvis Deus adeo magna ei promiserit et ille causam habuerit diffidendi, non tamen minus credidit. Et hoc est: "et in fide non est infirmatus nec consideravit", id est non atendit in promissione scilicet[a] filii et est causa, quare diffidere potuit.

"Emortuum", id est non aptum generare, quia iam erat centenarius. "Emortuam", id est non aptam concipere, quia iam erat sexagenaria. [49*]Sed tamen non dicit simpliciter corpus Abrahe emortuum vel vulvam Sare emortuam, sed coniungit illa duo, quia revera non erat aptus de tali generare filium, nec illa de tali filium concipere. Sed de iuvenculo fortasse illa concipere posset et ille de iuvencula generare, ut postea de Cetura[134] fecit, quam post Saram duxit. Sed, cum uterque frigidus esset, dicuntur habere filium contra naturam, non quod impossibile esset, sed contra solitum cursum rerum, quem Deus a principio causis primordialibus assignavit, in quibus talis est preparatio a Deo facta, ut amplius currerent et hoc modo et ad hanc metam,

[a] scilicet] *inter lineas*

[132] Matth. 5,14
[133] Job 40,16
[134] Gen. 25,1 sq.

[48*] Cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 4 (PL 178,856 A sq.).
[49*] Cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 4 (PL 178, 856 C sq.).

ut videlicet ab hominibus procrearentur homines et asini ab asinis, arbores ab arboribus, aves ab avibus. Unde, si modo Deus asinum de terra crearet ut primum asinum, vel aves de aquis ut primas, diceretur fieri contra naturam id est contra illam preparationem, que primum in causis primordialibus facta est, ex quibus tale quid non fieret, nisi Deus alium motum illis preberet et dispositionem. Ex illis igitur, qui frigidissimi erant, non procrearetur filius, nisi Deus semini aliunde calorem adhiberet, unde semen illud calefieret ad procreationem filii.

"Fere", quia adhuc unus annus restabat. "In repromissione," quasi dicat: Non solum in predicto commendatus est, sed etiam, quod "in repromissione" etc. [50*]Repromissionem istam vocat secundam promissionem, que facta est ei de terra. Primum enim dixit ei Dominus: Eggredere de terra tua et vade in locum, quem monstravero tibi et faciam te in gentem magnam.[135] Deinde assignavit ei terram dicens: Hanc terram tibi dabo.[136] Cui Abraham tamquam signum postulans ait: Et quomodo possum scire, quod hanc terram possidebo?[137] Cui Dominus: Accipe vaccam ruffam triennem et fac inde sacrificium.[138] Et quia in hac promissione verba diffidentie videtur habuisse eo, quod signum postulavit, ideo apostolus dicit eum non hesitasse diffidentia, ut eum quasi excuset, quamvis diffidentiam videatur habuisse in verbis. Postulavit enim signum Abraham non propter se, sed propter posteros, ut eos certiores redderet. Qua de causa idem factum est a Johanne, qui ait: Tu es, an alium expectamus?[139] Cui renuntiatum est, quod ceci vident, surdi ambulant etc.[140] Vel repromissionem vocat hoc loco promissionem de filio, que facta est ei post terre

[135] Gen. 12,1 sq.
[136] Gen. 12,7; 13,15
[137] Gen. 15,8
[138] Gen. 15,9
[139] Matth. 11,3
[140] Matth. 11,5

[50*] Cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 4 (PL 178,857 D sq.).

promissionem. Et ideo dicit repromissionem quasi aliam promissionem, in qua similiter verba diffidentie habuit, qui ridens in corde suo ait: Et putas, quod Abraham centenarius habebit filium et Sara sexagenaria pariet?[141] Quasi dicat: Quis crederet istud,[a] nisi ego, qui tantam fidem habeo. Sara vero risit[142] et diffidentiam habuit tamquam derisioni deputans, quod audivit.

"Dans gloriam", id est gratias Deo agens.

"Non autem". Diceret aliquis, quid ad rem de laude ista Abrahe vel commendatione? Multum ad rem, quia non solum ad gloriam illius scriptum est, sed etiam propter nos, ut videlicet nobis in exemplo proponatur. Et hoc est: "Non autem" etc. "Propter nos", id est propter utilitatem nostram.

"Quibus" scilicet idem "reputabitur" vel impersonaliter "reputabitur", id est eadem erit reputatio. "Credentibus" non ei vel eum,[b] sed "in[c] eum", exemplo videlicet Abrahe.

"Qui resuscitavit". Quasi dicat: Et merito credidit in eum Abraham, quia ea promissione, que ei facta est, quod videlicet omnes gentes benedicerentur in semine eius, frustratus non est, immo iam impleta est in Christo, qui est semen illius. Judei vero a philosopho sepe requisiti nullatenus dicunt se istam benedictionem posse assignare in carnali Ysaac, per quem vel cuius semen gentes potius extirpate sunt quam benedictionem susceperint.

[51*]Et nota, quod divine scripture secundum diversitatem personarum ea, que ad Deum pertinent, distingunt. In eis enim, que ad potentiam divinam spectant, patrem com-

---

[a] istud] *inter lineas*
[b] vel eum] *inter lineas*
[c] in] *inter lineas*

---

[141] Gen. 17,17
[142] Gen. 18,12

[51*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 4 (PL 178,858 D); *Theologia* lib. 1 c. 10 (PL 178,991 sqq.); *Sent. Herm.*, c. 5 sq. (PL 178,1701 C sq.); *Sent. Flor.*, 4; *Sent. Rol.*, 21 sq.

memorant, ut in resuscitatione Filii, que ad potentiam pertinet. Dicitur enim, quod Pater Filium resucitavit.[143] De eodem Filius: Pater, inquit, clarifica.[144] Et iterum: Serva eos, Pater, quos dedisti michi.[145] In his vero, que ad divinam sapientiam spectant, comemoratur Filius, de quo dicitur: Erat lux vera, que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.[146] De eodem: Omne iudicium dedit Filio.[147] Ad sapientiam enim spectat insipientes illuminare, et in sententia danda vel in discussionibus iudiciorum sapientie cedit potentia. In eis autem, que ad benignitatem divinam spectant, Spiritum Sanctum commemorant ut in regeneratione baptismatis,[148] ubi ea dona, que conferuntur, ad divinam bonitatem pertinent. Et ita sacre scripture, que potentie sunt, ad Patrem referunt, que sapientie, ad Filium applicant, que vero divine benignitatis, Spiritui Sancto ascribunt; cum tamen opera Patris, Filii et Spiritus Sancti omnino sint indivisiva.

"A mortuis". Non dicit: a morte, sed: a mortuis, quasi dicat: de inter mortuos,[52*] ut videlicet illum, qui vere mortuus erat, qui vere unus de mortuis erat, cuius mors putativa non est. Et per hoc apostolus aufert illam heresim Saracenorum, qui dicebant Christum non vere mortuum esse, cum Deus fuerit, qui mori non potest; immo quandam speciem pro se posuisse, quam iudei cruci affigentes putabant illum crucifigere,

"Traditus" est a Deo Patre "propter delecta nostra", id est, ut sustineret penam a peccatis nostris provenientem. Vel "propter delicta", id est, ut peccata tolleret iuxta illud: qui tollis peccata mundi.

---

[143] Act. 2,32; 13,33. Non tamen est hic sermo de Patre.
[144] Joh. 17,1
[145] Joh. 17,11
[146] Joh. 1,9
[147] Joh. 5,22
[148] Joh. 3,5

[52*] Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 1 c. 4 (PL 178,859 A).

Et "resurrexit propter iustificationem", id est, ut daret perseverantiam, in qua consistit iustificatio iuxta illud: Qui perseveraverit, salvus erit;[149] qui legitime certaverit, coronabitur.[150] Disciplui enim ante resurrectionem ita infirma erant et imbecilles, quod fere in desperationem venerant dicentes: Sperabamus hunc redempturum Israel. Sed mulieres nostre terruerunt nos, que ante lucem venientes ad sepulcrum non invenerunt corpus.[151] Unde modo nec corpus habemus nec animam.

---

[149] Matth. 10,22
[150] 2 Tim. 2,5
[151] Luc. 24,21 sqq.

[Cap. 5.]

"Iustificati igitur". A duobus infert, ab Abraham videlicet et a semine illius, quasi dicat, quia Abraham propositus est nobis ad exemplum fidei et iam promissio impleta est in semine eius, igitur "iustificati ex fide", scilicet ad exemplum fidei Abrahe, "pacem", id est reconciliationem, "ad Deum" scilicet Patrem, et hoc per semen illius, quod est Christus Jhesus. Et hoc est "per Christum" etc. In "gratiam istam", id est dilectionem. In "spe glorie filiorum Dei", id est de gloria, que debetur filiis et non servis, quam speramus nos membra Christi quandoque habituros, ad quam caput iam precessit.

"Non solum". Quasi dicat: Non solum gloriamur de beatitudine illa, quam expectamus, sed etiam "gloriamur" de tribulationibus, ut vicem Christo recompensemus dicentes: Tu passus es propter nos et nos propter te patimur. Sancti enim tunc dignos se[a] reputabant, quando pro Christo contumeliam patiebantur, et de passionibus vel agonibus, quos pro illo sustinebant, precipue gloriabantur. Unde apostolus: Absit michi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jhesu Christi, per quem crucifixus est michi mundus et ego mundo.[152] Et iterum: Supleo ea, que desunt passioni Christi,[153] accipiens ibi Christum pro membris et capite.

"Gloriamur", dico, "scientes", id est hoc attendentes, "quod tribulatio" etc., id est patientes nos reddit,[b] quia Deus omnia tam prospera quam adversa suis cooperatur in bonum. Confert enim eis prospera quandoque, ne omnino desperent, adversa, ut humilientur.

"Patientia probationem", quia et nos nobis probat et aliis, quales sumus, de quibus prius hesitabant. "Probatio spem,"

---

[a] se] *inter lineas*
[b] id est patientes nos reddit] *inter lineas*

---

[152] Gal. 6,14
[153] Col. 1,24

quia et nos de nobis bene speramus et alii, qui tales nos vident. "Spes autem non confundit", id est non reddit nos confusos, id est erubescentes. Illum enim spes confundit, qui eo, quod sperat, frustratur. De quibus dictum est: Et spes impiorum peribit.[154]

"Quia caritas". Quasi dicat: Vere non confundit, quia iam quasi arram habemus in cordibus nostris Spiritum Sanctum, qui non decipit. Et hoc est, quia "caritas Dei", id est dilectio, "diffusa", id est dilatata, de qua dicitur: latum mandatum tuum nimis,[155] quia non solum amicos, sed etiam inimicos in sinum dilectionis recipimus. Et ideo in nobis dilatata est, que in antiquis stillata || erat, quorum 110r
dilectio usque ad amicos veniebat. Unde hoc tempus tempus gratie dicitur, in quo plenior habetur divina gratia. De quo tempore fuit ille risus Abrahe in corde suo, quod nichil aliud est, nisi quod magnum gaudium in corde habuit de hoc tempore, quod ei spiritus intimabat, de quo dicit veritas: Et vidit diem meum,[156] id est tempus gratie et gavisus est. Quod tempus dies dicitur, quia priora tempora quasi noctes fuerunt, in quibus non statim patebat regnum. Sed sancti quasi in tenebris manentes hunc diem expectabant. Non tamen credendum est eos ita in tenebris extitisse, quod maiorem lucem non habuerint, quam si centum soles adessent. Sed tanto desiderio illius summe beatitudinis, qua nondum fruebantur, accensi, quicquid habebant, quasi pro nichilo reputabant.

"Ut quid enim". Vere diffusa est, quia non propter aliud Christus mortuus est, nisi propter dilatandam dilectionem in nobis. Et hoc est "ut quid enim" etc., quasi dicat: propter nichil aliud, nisi ut dilataret in nobis amorem illa summa exhibitione dilectionis. "Pro impiis", id est peccatoribus, ut videlicet de peccatoribus iustos faceret.

"Cum nos infirmi", id est debiles in fide, quia ante resurrectionem ita erant omnes infirmi, quod de matre etiam Do-

[154] Psalm. 1,6
[155] Psalm. 118,96
[156] Joh. 8,56

mini beatus Simeon[a] audeat dicere gladium infirmitatis pertransisse illius animam, iuxta illud: Et animam ipsius pertransibit gladius.[157]

"Vix enim". Diceret aliquis: Estne magnum pro impiis mori? Revera magnum, quia vix etiam pro iusto "quis moritur". Bene dico: vix, quia forsitan "pro bono", id est iusto etc.

"Commendat autem". Quasi dicat: Quia Christus pro nobis mortuus est, magnam exhibuit nobis dilectionem. Sed, quia pro nobis impiis mortuus est, precipue eius dilectio commendatur. Et hoc est "commendat" etc., id est commendabilem ostendit.

"Multo igitur". A minori, quasi dicat: Quia de nobis peccatoribus moriendo iustos fecit, multo igitur amplius de iustificatis salvos faciet. Et hoc est "multo igitur" "in sanguine", id est per mortem ipsius. "Ab ira", id est vindicta ventura.

"Si enim cum". Idem repetit, sed quasi argumentum intermiscet, quasi dicat: Vere multo magis, quia si cum "inimici", id est tales, quibus Deus debebat irasci.

"In vita". Quasi dicat: Quia moriendo iustificavit, multo magis vivendo, cui ultra mors non dominabitur, salvabit. Vel "in vita", non scilicet temporali, sed "ipsius", id est ęterna.[b]

"Non solum autem". Quasi dicat: Non solum redempti sumus, reconciliati sumus, sed etiam in hac reconciliatione gloriam habemus, id est quandam dignitatem,[c] quia videlicet tale pretium datum est pro nobis.

"Propterea sicut". Hec littera suspenditur usque ad illum locum, ubi dicit: "Sic et per unius iustitiam" etc.

Continuatio: Quia per Christum Deo sumus reconciliati, qui de iniustis iustos nos fecit, "propterea", id est propter

---

[a] Simeon] *om.*

[b] "In vita". Quasi—ęterna] *antea post* "Non solum autem"—pro nobis *positum per signa apta ad praesentem locum transmittitur.*

[c] id est quandam dignitatem] *inter lineas*

---

[157] Luc. 2,35

hoc, sicut "per unum hominem" etc., sic et "per unius iustitiam" etc. Vel "propterea" superiorem versum explebit, id est finiet, hoc modo: "per quem nunc reconciliationem accepimus, propterea", id est per mortem illius. Et ideo, sicut "per unum hominem" etc., sic et "per unius iustitiam" etc. Nec mireris, cum ebraice constructiones nimis sint distorte et defective,[a] que omnino substantivo verbo carent. Unde ebreorum propositiones substantivum verbum non habent iuxta illud: Beatus vir, qui non abiit,[158] vel: Beatus vir, qui timet Dominum.[158a]

"Peccatum", id est pena, "intravit", id est transfusa est, "in hunc mundum", id est in hanc partem mundi, in posteros scilicet. Cum enim peccaverit Adam, ibi peccatum non est transfusum in posteros, immo in hac parte mundi, quia ibi non genuit nec ibi posteros habuit. Translatus vero a paradiso in hanc mundi partem transfudit in posteros penam, cui et ipse subiacebat pro peccato, quod ipse in paradiso comisit. [53*]Cuius paridisi, a quo videlicet[b] eiectus est, ut dicit Ysodorus,[159] sunt muri ignei et desuper sunt angeli paradisi custodes, ne etiam aerie potestates ingredi possint, quia sumptis corporibus ibi aliquod habere possent refrigerium, vel ne homini eiecto pateret reditus. Unde dictum est illis: Videte, ne forte ingrediens vivat in ęternum.[160] Si enim de ligno vite habere posset ad usus, quos oporteret, nec senium incurreret nec mortem. De quo nunc edentes Enoc et Helias nec senescunt nec moriuntur. Fuit namque Adam mortalis factus, quia, ut dicit beatus Augustinus,[161] animale corpus habebat, quod videlicet alimentis indigebat et quod defectum pateretur, nisi sustentaretur. Unde ceteros fructus para-

[a] et defective] *inter lineas*
[b] videlicet] *inter lineas*

[158] Psalm. 1,1
[158a] Psalm. 111, 1.
[159] *Etymologiarum lib.* 14 c. 3 n. 3 sq. (PL 82, 496).
[160] Gen. 3,22
[161] Augustinus, *De Genesi ad litteram* lib. 6 c. 21-23 (PL 34,352 sq.).

[53*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 5 (PL 178,866 B sqq., 871 A).

disi ad alimentum habebat, fructum vero de ligno vite ad medicamentum contra mortem et senium. Qui tamen fructus non semel sumptus sufficiebat.

Vel de culpa legitur sic: "peccatum", id est culpa "intravit", quia culpa etiam primi hominis causa fuit nostrarum, quoniam in miseriis istis pro culpa illius[a] positi cogimur concupiscere, rapere, ut nostre inopie consulamus. Unde et ista passibilitas fomes peccati dicitur, id est nutritura, que nos pronos facit ad peccandum. Sed istas miserias omnes non haberemus, nisi ille peccaverit. Adam enim, si non peccaret, et ipse et eius posteritas filios generaret sine concupiscentia omni et sine delectatione aliqua, nisi que ad Deum esset, et tandem in restaurationem angelorum transferret eos Deus. In qua translatione immortales fierent, id divina facile operante potentia, que corpora etiam[b] in pulverem dissoluta in futura resurrectione in tam solidam reducet naturam.

[54*]Queritur, an animalia essent in paradiso aliquo cum homine creata.—Dicit philosophus: nulla.

Ad quod obicitur illud: Et adduxit ei animalia, ut vocaret ea.[162]—Sepe, inquit, ea, que posterius fiunt, sic narrantur, quasi prius fierent quam fiant iuxta illud: Et scisse sunt petre et aperta sunt monimenta et mortui resurrexerunt et apparuerunt multis.[163] Quod tamen in resurrectione Domini factum. Sic ergo, postquam eiectus est a paradiso, adduxit ei animalia, quod aliud non est, nisi, quod Domino ducente, id est disponente, occurrebant ei animalia, quibus nomina imponebat. Diabolus tamen formam serpentis assumpsit, ut deciperet. Quam mulier non abhorruit, quia omnia animalia erant eis ante lapsum domestica, que post factam inobedientiam illis obedientiam exhibere indignata sunt.

---

[a] pro culpa illius] *inter lineas*
[b] etiam] *inter lineas*

---

[162] Gen. 2,19
[163] Matth. 27,51.

[54*] Cf. Abaelard., *Expositio in Hexaemeron* (PL 178,781 B-D).

"Mors", scilicet temporalis, vel etiam eterna, id est exclusio a visione Dei.

Et hoc "ita" videlicet, quod "in omnes homines mors pertransiit", nullum scilicet relinquens, "in quo omnes peccaverunt", id est penam incurrerunt. "Usque ad". Et bene dico: in omnes homines, quia usque ad legem, id est ante legem "peccatum", id est culpa, quod minus videretur, erat, dico, sed "non imputabatur" ab hominibus, quia lex non erat, que illa exteriora prohiberet. Faciebant tamen homines, unde accusabat eos conscientia, scienter facientes, quod non oportebat. Et hoc est "cum non esset lex", que scilicet doceret, quid faciendum, quid non. Non imputabatur, sed tamen "mors", id est temporalis vel eterna etiam "in eos", id est in parvulos, qui non "peccaverunt in similitudinem", id est qui non comiserunt culpam aliquam sicut Adam, "qui est forma futuri".

Quomodo sit forma futuri, ipse exponet, quod videlicet sicut per Adam dampnatio, sic per Christum salvatio.

"Sed non sicut". Dixit Adam formam esse futuri, quia videlicet, sicut Adam peccatum, ita Christus remissionem peccatorum transfudit in nobis. Modo monstrat, quod iste magis profuit quam ille nocuerit. Cum enim ille penam unius peccati transfudit, iste non solum illam removit, sed etiam penam nostrorum actualium.

Continuatio: Adam multum nocuit. Sed tamen "non sicut delictum" etc., id est non tantum obfuit ille, quantum iste profuit. Quod probat dicens, quia "si", id est sicut,[a] "multi mortui", id est eternis penis deputati, scilicet a visione Dei exclusi, ita "multo magis[b] abundavit gratia Dei", id est donum Dei gratuitum, remissio videlicet non solum pene illius culpe, verum etiam pene nostrarum culparum. Quod, ne per alium fieri videretur quam per Christum, supponit: "et", id est "donum" etc. [55*]In quo duo notat: nos

[a] id est sicut] *inter lineas*
[b] magis] *om.*

[55*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 5 (PL 178,863 A sq.).

videlicet hoc donum per Christum habere, de cuius plenitudine omnes accepimus, et ipsum ex gratia habere, quicquid habuit. Deus enim illi homini omnia dona sua ex gratia simul contulit, in quo omnes thesauri sapientie absconditi sunt,[164] spiritus scilicet sapientie, spiritus intellectus[165] etc.
"In plures", id est in multos. Non enim comparative dicitur, quoniam fortasse plures dampnati sunt per Adam quam per Christum salvati. Sed quibus Christus profuit, plus profuit quam ille nocuit.
Obicitur tamen Christum non plus profuisse quam Adam nocuisse. Sicut enim Adam[a] illam penam tantum intulit et transfudit, sic et Christus tantum illam remittit non solum in parvulis, sed etiam in adultis per gratiam, quia pena de actualibus ex meritis nostris, id est per dilectionem, que sola meretur, remittitur. Si vero dicitur, quod gratia Dei causa est etiam remissionis pene actualium nostrorum, ut sic plus prosit Christus quam ille nocuit, idem ex alia parte dici potest, quod videlicet culpa illius causa est culparum nostrarum.
Ad quod philosophus: Per gratiam, inquit, utraque pena remittitur, sed altera tantum per gratiam, altera etiam per merita et tamen per gratiam, quia dilectio, per quam remittitur, etiam gratia est. Rursus, cum utrumque sit causa, aliter tamen et aliter, quia, cum pecactum illius[b] sit causa nostrorum, non tamen necessario infert illa, quia sine illis esse contingit. Gratia vero, cum sit causa[c] remissionis etiam pene actualium, illam infert quandoque. Qui enim amorem illum habet honestum, qui ad[d] finem refertur, ad quem debet, Deus illi aliquando revelat, quicquid est necessarium.

"Et non sicut". Idem repetit et multis modis replicat, ut videlicet magis et magis appareat Christi commendatio. Vel

[a] Adam] *inter lineas*
[b] illius] *inter lineas*
[c] causa] *inter lineas*
[d] ad] d *inter lineas*

[164] Coloss. 2,3
[165] Is. 11,2

ideo repetit, ut probationem statim supponat. Et hoc est "non sicut" etc., id est non tantum nocuit Adam, quantum profuit gratia Christi.

"Nam". Vere non tantum nocuit, quia "iudicium" id est divina sententia "ex uno", scilicet delicto, fuit subaudis, "in condempnationem". Ista dampnatio est exclusio, ut iam diximus, a visione Dei, quam omnes incurrerent, nisi gratia Christi interveniret. "Ex multis delictis", id est utramque penam remittens, est subaudis, "in iustificationem", id est iustificavit hominem.

"Si enim". Probat utrumque, et quod ex uno in condempnationem, et quod ex multis delictis in iustificationem. Quia, "si", id est sicut "mors", id est dampnatio "regnavit", id est || regnum habuit, quia a Deo per divinam sententiam 110v
sanccitum est, quod nullus resistere potuit.

"Habundantiam gratie", id est habundantem gratiam. "Donationis" quantum ad originale, in quo remissio est ex sola gratia et ideo dicit illam donationem esse. "Iustitie" quantum ad propria peccata, in quibus etiam remissionem meremur per dilectionem, que tamen ex gratia est.

"Regnabunt", id est reges erunt, quia servire Deo regnare est, et hoc "in vita," scilicet eterna. Vel accipientes "in vita", ista videlicet, ut tandem vere regnent. Et hoc "per unum", scilicet "Jhesum Christum".

"Igitur sicut". A partibus, quasi dicat: Quia per delictum huius in mortem itum est et quia per iustitiam istius in vitam, "igitur sicut" etc. Et est ostensio, qualiter Adam fuerit futuri forma.

"Sicut enim". Illud probat, quasi dicat: Vere per unius delictum et vere per unius iustitiam, quia "sicut per unius" etc.

Et nota quod istud *multi* determinat, quid per omnes intellexerit, ponens videlicet omnes pro multos, cum aliter hec probatio non multum valeat.

[56*]De originali peccato hoc loco querendum est, et primum, quid originale peccatum dicatur. Deinde, quomodo Deus ab

[56*] Ad sequentia cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 5 (PL 178,866 A sqq.).

iniustitia vel crudelitate absolvi queat, qui eos, qui non peccaverunt, scilicet parvulos ęternaliter etiam dampnat. Est enim, ut beatus Jeronimus[166] dicit, anima, quamdiu in infantili etate est, sine peccato id est sine culpa. Unde cum Deus tales dampnet in perpetuum, videtur crudelior quolibet homine et iudicium illius[a] iniustius iudicio cuiuslibet hominis. Homines enim, quantumlibet pater deliquerit, parvulum tamen reatu patris teneri non iudicant, qui etiam, si filium interficiunt cum patre, dicunt se graviter peccare, qui eum occidunt, qui nichil deliquit.

[57*]Rursus, querendum est, quare potius a remotissimis patribus peccatum contraximus et non a propinquis patribus, qui multo sunt nequiores.

Inprimis dicendum est, quod peccatum dicitur duobus modis: vel pro culpa; in qua significatione parvulus esse sine peccato dicitur, que dicitur consensus vel contemptus Dei.[b] Vel pro pena; secundum quod dicimur peccasse in Adam, id est penam peccati incurrisse. Dicitur ergo[c] originale peccatum, id est debitum pene peccati, quam ab illis patribus contraximus, id est cum qua unusquisque nascitur, qui et ęterne pene debetur,[d] nisi sacramenta interveniant. Cum igitur dicimus originale peccatum esse in isto, id est illum deberi eterne pene, nisi sacramenta interceperit, nequaquam dicemus, quod debitum pene talis[e] est in isto, cum nullam habeat significationem talis locutio, quamvis ille due orationes eiusdem sint significationis vel predicationis. Nec mirum, cum sepe idem inveniamus. Dicimus enim genus illius, non tamen predicabile tale illius. Rursus, cum

[a] illius] *inter lineas*
[b] que dicitur—Dei] *inter lineas*
[c] ergo] *inter lineas*
[d] debetur] *inter lineas*
[e] talis] *inter lineas*

[166] Hieronymus, *Dialogus contra Pelagianos* c. 3 n. 17 sq. (PL 23, 614-616).

[57*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 5 (PL 178,866 B).—Responsio invenitur ibidem (PL 178,872 D sqq.) non vero in nostro commentario.

necesse et necessario eandem habeant significationem, non tamen eandem iuncturam. Cum enim dicitur: Quomodo currit Socrates, competenter respondetur: Necessario, non tamen: necesse.

[58*]Ab iniustitia autem sive crudelitate absolvit Deum apostolus, ubi ostendit Jacob ex sola voluntate Dei a Deo electum esse, Esau vero reprobatum. Cui enim vult, inquit, miseretur, et, quem vult, indurat.[167] Nec ideo iniuste agit. Sicut enim figulus[168] vasa, que vult, ad honorem facit, que vult, ad contumeliam, nec habet vas, quid ei obiciat, cum utrumque sit in voluntate illius, et dicat figulo, quare me sic fecisti, ita et Deus creaturas suas eo modo,[a] quo voluerit, rationabiliter tractare potest, has ad gloriam, illas ad penam faciens, nec habet aliqua, quid ei respondeat, cum eque hoc et illud in potestate eius fuerit. Quod enim asinum ad penas assiduas creaverit, non habet asinus, unde querimoniam faciat, ut dicat: Quare me sic fecisti?

[59*]In hoc etiam commendat Deus benignitatem suam, qui cum parvulos futuros esse videat perversos, eorum malitiam prevenit, ne, si vixerint, gravius puniantur. Sed dices: Ut Dei bonitas magis commendetur, quare non sinit eos prius ad sacramenta venire, ut nullam postmodum penam sentiant?—[60*]Ad quod philosophus: Hec, inquit, causa apud ipsum occulta est. Sed tamen possumus dicere, quod propter patres eorum hoc facit Deus, ut videlicet, si perversi fuerint, videntes filium ęternis penis deputatum, relicta malitia ad Deum confugiant vel maiorem etiam erga illum compunctionem habeant, si primitus in amore Dei aliquantulum fuerint. Propter alios etiam facit, qui quasi atten-

---

[a] modo] *inter lineas*

---

[167] Rom. 9,18.
[168] Rom. 9,21

[58*] Ad sequentia cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 5 (PL 178,868 C sqq.)

[59*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 5 (PL 178,870 B); *Sent. Flor.*, 25.

[60*] Ad sequentia cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 5 (PL 178,870 D sq.).

dentes, quod Deus illos propter peccata non permittit super terram semen relinquere, magis Deum diligendo timeant caventes, ne quid tale faciant, unde Deus irascatur.

[61*]Pena tamen parvulorum, ut beatus dicit Augustinus,[169] mitissima est, ita videlicet, ut magis velint esse quam non esse, nec credo eos aliter esse quam patres sanctos ante adventum Domini, nisi quod isti spem habuerunt videndi Deum, illi vero non habebunt.

[62*]A primis autem patribus hanc penam ideo contraxit posteritas, quia Deus primum peccatum tam graviter punire voluit, ut posteris terrorem incuteret,[a] ne tale quid facerent, unde Deum offenderent, qui pro tam parvo peccato tam magnam penam irrogavit.

"Lex autem". Dixit, quod non ita delectum Ade sicut donum Christi, quia, cum per Adam transfusum sit peccatum in posteros, plus iste profuit quam ille nocuit.

Diceret aliquis: Quoniam adeo necessarium fuit Christum venire, lex data quid fecit?—[63*]Ad quod respondens dicit per legem potius peccata augeri[b] quam minui. Et ideo multo amplius necessarius fuit adventus Christi. Et hoc est: "lex subintravit", id est post naturalem legem successit lex scripta. "Ut habundaret." Istud *ut* non est causale, sed consecutivum, quia lex propter hoc data non est, sed, cum data fuerit, habundantia peccati consecuta est. Quale est et illud: Exivit homo, ut moreretur. Non enim propter hoc exivit, sed, cum exiverit, hoc consecutum est.

---

[a] incuteret] *correctum ex* incuterent
[b] augeri] *correctum ex* augere

---

[169] Augustinus, *De peccatorum meritis et remissione* lib. 1 c. 16 (PL 44,120); *Contra Julianum Pelagianum* lib 5 c. 11 (PL 44,809).

[61*] Ad sequentia cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 5 (PL 178,870 A).

[62*] Ad sequentia cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 5 (PL 178,870 B sq.).

[63*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 5 (PL 178,873 D sq.).

Lex tamen mala[a] non erat, sed, ut inferius dicet, mandatum sanctum et bonum. Sed per legem occasione accepta deteriores fiebant homines, cum, vellent nollent, lex cogeret eos facere, quod precipiebat. Quasi dicat lex: velis nolis, facies, aut penam istam incurres. Et ideo legi adquiescere non poterant. Quod enim coacti facimus, semper contra renitimur voluntate. Quod vero in libertate nostra positum est, omnimode nitimur, ut fiat. Et hoc est, quod dicit: "ut habundaret".

"Ubi autem". Sed de hac habundantia peccati, quid fecit Deus? In bono videlicet usus est, quia, cum mala per ipsum non sint, benignitas tamen ipsius eam ad utilitatem nostram disponit.

Continuatio: Peccatum habundavit per legem. Sed "ubi", id est in eo populo, scilicet iudaico, in quo "habundavit peccatum", occasione scilicet legis, "gratia superhabundavit", quia ex illo populo natus est salvator, electi sunt apostoli, per quos mundus conversus est. Ita, inquam, superhabundavit, ut, "sicut regnavit peccatum", id est regnum habuit, non hospitium, per pravam consuetudinem, que quasi altera natura nolentem etiam trahit et cogit,[b] ut fiat, quod concupiscentia suggerit.

"In mortem", id est dampnationem.[c] "Gratia", id est donum Dei gratuitum, "regnet", id est regnum habeat, "per iustitiam", id est reddendo unicuique, quod suum est. Que videlicet iustitia ducat "in vitam eternam". Et hoc totum "per Jhesum Christum". Ille autem regnat, id est cum divina voluntate, quantum potest, concordat et ei servit, cui servire regnare est, qui illicitis motibus, quos sentit, non prebet assensum, sed refrenat attendens eos esse ad pugnam, ut tandem ad coronam, quia virtus in infirmitate perficitur.

---

[a] mala] *add.* mala
[b] cogit] *add.* cogit
[c] In—dampnationem] *inter lineas*

[CAP. 6.]

"Quid dicemus?" Rursus diceret aliquis: Peccemus ergo, quia videlicet, ubi habundat pecatum, superhabundat gratia. Et est hec questio illi similis, que supra facta est, quod videlicet bonum est peccare, quia in meo mendacio commendatur veritas Dei, qui, quamvis iustam causam habeat, ut non reddat, reddit tamen, quod promittit. Et hoc est: "quid ergo dicemus?" id est: contra hanc questionem quid dicetur? Scilicet "permanebimus" etc. "Absit", id est non oportet. "Qui enim". Ratio, quare non oporteat, quia videlicet, "qui mortui" etc. Ille vivit in peccato, qui iam in perversam consuetudinem peccatum duxit et perversis concupiscentiis non resistit, sed eis habenas tradit et iam post peccatum quasi servus trahitur. Ille vero mortuus est peccato, qui illicitis motibus non consentit, in quo videlicet, si peccatum non omnino extinguitur, etsi quandoque hospitium habeat, non tamen regnum trahit per pravam consuetudinem.

"An ignoratis". Quasi dicat: Non solum predicta ratione ammonemur, sed etiam sacramentis ipsis, in quibus nobis remittuntur peccata, ne in peccatis amplius vivamus. In baptismo enim et veterem hominem auferimus et novum suscipimus per imitationem, in quo et morimur ad similitudinem mortis Domini et resurgimus. In illo enim fonte cum mergimur,[a] morimur cum Domino et ei consepelimur. Illa vero elevatio est quasi Domini resurrectio, ut videlicet, sicut Christus semel mortuus est, ita et nos semel peccatis moriamur et in illa novitate vite, in qua resurgimus, permaneamus. Unde et vestis candida nobis traditur, ut in illa videlicet munditia maneamus et vestem illam non commaculemus. Et hoc est "an ignoratis, quia quicumque baptizati sumus", non dico in baptismo Johannis, sed "in Christo Jhesu", id est in baptismo Christi.

---

[a] cum mergimur] *inter lineas*

Vel nota, quod primitiva ęcclesia in nomine Christi baptizabat, quod satis conveniebat, quia in Christo IIIes persone divinitatis intelliguntur.
"Baptizati sumus in morte", id est ad mortis Domini similitudinem.

Queritur, quare ter mergitur puer.—Quia videlicet per triduum mortuus est Dominus.

[64*]Queritur, an sit baptismus, nisi ter mergatur.—Ad quod philosophus: Nichil, inquit, refert ad efficaciam baptismi, an semel vel ter mergitur.

Queritur etiam, an parvulus moriens in puteum, in quo statim moreretur, proiciendus esset, cum alia aqua presto non esset, ut sic suscepto sacramento non dampnaretur.—Ad quod ille: Non debemus, inquit, quicquam proximo, etsi illi sit utile, quod sit contra salutem nostram. Cum enim utile esset homini, qui ad tempus dilectionem Dei habet, qui tamen dampnabitur, ut in illa interficeretur, non tamen a nobis interficiendus est.

"Consepulti enim". Vere in morte ipsius, quoniam "consepulti cum ipso", id est in sepultura ad similitudinem illius positi sumus "per baptismum in mortem", ut videlicet semel moriamur peccatis, || quomodo Christus semel. 111r
Et ad quid consepulti? Ad hoc scilicet, "ut quomodo" etc. "Per gloriam Patris", [65*]id est per divinam potentiam. Ecce nomen Patris commemoratur, in his videlicet, que ad potentiam Dei spectant.[a] "In novitate", quam in sacramentis suscepimus. "Ambulemus". Non dicit stemus vel simus, sed ambulemus, ut videlicet proficiamus semper de virtute in virtutem ambulantes. Cum enim in eodem statu non permanet homo summisque negatum est etiam stare diu, oportet nos in motu esse, ut vel sursum ascendamus vel in contra-

[a] Per gloriam Patris—spectant] *in margine superiori*

[64*] Cf. Abaelard., *Sic et Non* q. 112 (PL 178,1510 C sq.); *Sent. Rol.*, 210.
[65*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 6 (PL 178,875 AB).

rium declinemus. Unde ad ascensum nos invitat, ut de virtute in virtutem videatur Deus Deorum in Sion.[169a] Adolescentulas enim diligit Deus, que curiose sunt de ornatu, de uno scilicet in alium ambulantes, quibus non unus sufficit, ut amicum suum alliciant et[a] vehementius propter varios capiant[b] ornatus. De quo dictum est: Et adolescentule dilexerunt te.[170] De vetulis enim non curat Deus, que in ornatibus suis pigre sunt, de quibus magnum forum est.

"Si enim complantati". Diceret aliquis: Et quem fructum habebimus in morte ista. Magnum utique. Quia, "si complantati" etc., id est, si ita vere mortui sumus peccatis, sicut et Christus mortuus est. Non tamen dicit: mortui, sed complantati id est cum Christo plantati. In morte enim ista, qua peccatis morimur, tunc primum Deo plantari incipimus. Quo modo etiam, cum Christus ad passionem veniret, in morte eius precipue plantata est salus nostra iuxta illud, quod ipse dicit: Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.[171] Ante passionem enim vel resurrectionem paucos habebat fideles et, quos habebat, in fide debiles erant. Sed sicut granum frumenti dissolutum in terra et radicatum tandem cum multiplici fructu granorum surgit, ita et Christus dissolutus, anima videlicet et corpore, et in sepulcro positus postremo cum multiplici numero fidelium surrexit universum mundum trahens ad se.

"Simul et resurrectionis erimus", scilicet participes erimus non cuiuslibet resurrectionis, sed eius, id est Jhesu Christi, que est ad vitam.

"Hoc scientes". Quasi dicat: Erimus, inquam, hoc videlicet "scientes," id est attendentes, quia "vetus" etc., id est omnis pena et transgressio veteris hominis remota est et in sacramento illo, in quo morimur peccatis, abluta, ita videlicet, ut non solum pena originalium, sed etiam actualium

---

[a] et] *inter lineas*

[b] capiant] *inter lineas*

[169a] Psalm. 83,8

[170] Cant. 1,2.

[171] Joh. 12,24 sq.

removeatur. Et hoc est, ut "corpus peccati", id est utraque pena peccati, "destruatur", id est auferatur, ut nulla postmodum pena sit inde instituta. Et ad hoc destruatur, ut "ultra" etc. Non dicit: ut non sit in nobis peccatum, sed: ut non "serviamus" ei, id est non subiaceamus tamquam servi per pravam consuetudinem, ut videlicet, sicut sepe dictum est, si in nobis irrepserit, non regnum, sed saltem habeat hospitium. Deterius enim est servum peccati esse quam servum hominis, cum humana servitus non amorem divinum auferat, quemadmodum servitus peccati.

"Qui enim". Quasi dicat: Bene dixi, ut non serviamus peccato nos, qui mortui sumus peccato, quia "qui mortuus est" "iustificatus peccato", id est remotus est a peccato, id est ab opere peccati, quia, ut beatus Jeronimus[172] dicit,[a] mortui non peccant, id est ab opere peccati cessant. Et est hec probatio generalis de omnibus vere mortuis per similitudinem, ut videlicet, quemadmodum illi mortificantur ab opere peccati, sic et nos a voluntate etiam mortificemur.

Et "si mortui sumus", "credimus etiam", id est certum est nobis, quia "etiam vivemus cum Christo" id est illam vitam habebimus, quam modo Christus habet.

"Scientes", id est hoc semper attendentes, quod "Christus resurgens ex", id est de inter mortuos "iam non moritur", id est amplius corporaliter[b] non moritur.

"Mors ultra", id est mors anime, que ulterior est, id est extrema, "non dominabitur illi". Acsi diceret: Si istud attenderimus, vivemus cum Christo, ut videlicet ad similitudinem mortis illius semel morientes peccatis in novitate vite perseveremus. Sunt autem multi, qui ad mortis Lazari

---

[a] dicit] *inter lineas*

[b] corporaliter] *add. et del.* corporaliter

---

[172] Pelagius, *Expositio in epist. ad Rom.* c. 6 (PL 30,698). Cf. Hieronymus, *Epistola* 96 n. 9 (PL 22,780 sq.); Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 6 (PL 178,876): Bene dixi crucifixum esse et mortuum in nobis veterem hominem, ut amplius ille in nobis peccato non serviat, quam mortuus quilibet, ut ait Hieronymus, iustificatus est a peccato id est ab opere peccati iam alienus, licet penitus voluntate peccandi non careat ,sicut libero caret peccandi arbitrio.

similitudinem sepe moriuntur illam maledictionem incurrentes, que dicitur: Maledictus homo, qui peccat in spe.
Nota, quod dicit: non dominabitur, quoniam mors illa ęterna super impios dominium habebit, ut, velint nolint, sic crucientur.
"Quod enim". Vere mors illa non illi dominabitur, quia ideo, quod "mortuus est pecato", id est omnino peccato caruit, "mortuus est semel", id est corpore tantum et non anima.
"Quod autem". Quasi dicat: Iam non moritur, sed vivit. Et quod "vivit, vivit Deo", id est in nullo discordat a divina voluntate.
"Ita et nos". Adaptat similitudinem, quasi dicat: Sicut Christus mortuus est et resurrexit et iam non moritur, immo vivit Deo, "ita" id est ad hanc similitudinem[a] "et vos", fratres, "existimate". Non dicit: estote mortui peccato, quia nemo est sine peccato, sed: existimate vos mortuos, quasi dicat: Sic agite, ut cor vestrum non reprehendat vos[b] nec in aliquo contra conscientiam faciatis.
"Viventes Deo", id est in nullo a Deo discordantes, quantum potestis. Et hoc "in Christo Jhesu" id est per Christum Jhesum.
"Non ergo". Quasi dicat: Quia peccatis mortui estis, ergo non "regnet"; non dico: non sit. Sed si quandoque ei hospitium prebeatis, non trahat regnum in vobis per pravam consuetudinem. Et si concupiscentia suggerit illicita, non ei consentiatis, non ei habenas vestri regiminis tradatis, ut, si pedem ferat, non efferat.
"Ad obediendum" id est serviendum "desideriis", id est concupiscentiis, que in animam veniunt ex afflictionibus corporis, id est mortalitate, passibilitate, que, ut supra meminimus, sunt fomes peccati.
"Sed neque exhibeatis". In hoc etiam consulit illis, ne ita membra sua preparent, ut aptiora sint et ad peccandum proniora sicuti per nimias comestiones vel potus vel alios excessus.

---

[a] id est—similitudinem] *inter lineas*
[b] vos] *inter lineas*

Continuatio: Non solum non regnet in nobis, sed etiam "non exhibeatis", id est preparetis, "membra vestra peccato", id est ad obediendum peccato, ita videlicet, ut sint "membra iniquitatis", id est instrumenta male voluntatis. Ille autem membra sua preparat membra iniquitatis, qui causa pecunie linguam suam in causis exercet. Econtra ille membra iustitie, qui ad hoc linguam suam exercet, ut fortior sit et vehementior in predicatione ewangelii, vel qui oculos exercet in divina lectione. Sed "exhibete", id est preparate vos "viventes Deo", id est, ut Deo vivatis, hoc est ut, quantum potestis, divine voluntati concordetis. "Tamquam ex mortuis", id est sicut illi, qui iam mortui estis peccato. "Et" exhibete "vestra membra", ut sint "arma", id est instrumenta "iustitie", id est bone voluntatis. Et hoc "Deo", id est ad honorem Dei. Vel sic lege: Sed "vos viventes Deo tamquam ex mortuis, exhibete et", id est etiam, "membra" etc. "Peccatum enim". Quasi dicat: Et hoc utique potestis facere, quia "peccatum", id est lex peccati, scilicet lex mortis, ut infra dicturus est, non "dominabitur in vobis", quia, ut supra meminimus, lex illa importabilis, que dentem pro dente, oculum pro oculo, animam pro anima reddere, vellent nollent, precipiebat.[172a] Semper renitebatur voluntas, quicquid exterius agerent timore pene.

"Non enim". Vere non dominabitur amplius, quia non "estis sub lege", quasi lege oppressi. Ille enim sub lege est, qui lege ducitur et legem non ducit, Sed "sub gratia", id est in libertate positi, quam per gratiam Christi habemus, ut honere legis remoto pro voluntate Deo obediamus tamquam filii. Illa enim lex importabilis servos faciebat, gratia vero ista filios Deo generat. Non enim accepimus spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: abba, id est pater,[173] non: Adonay, id est Domine, more illorum. Ex quibus nominibus etiam palam est legem servos facere, filios vero ewangelium. Illi enim clamabant: Adonay id est Domine tanquam servi,[a] nos

[a] tanquam servi] *inter lineas*

[172a] Exod. 21,23 sq.
[173] Rom. 8,15

autem: Pater tamquam filii. "Quid ergo". Quasi dicat: Quia ab illa servitute removit nos Deus[a] in hanc libertatem, "quid ergo" faciemus? "Peccabimus" etc. "Absit", id est nequaquam.

"Nescitis". Dico: absit, et non sine causa, sed hac de causa, quia "nescitis", id est non ignorare debetis, quoniam, "cui exhibetis", id est preparatis, "servos", id est presto sedulos occupatos, "servi estis eius", id est subditi ei estis. "Peccati", id est male voluntatis, et hoc usque "ad mortem", id est mala opera et perversa. "Obeditionis", id est bone voluntatis, cui obediendum est. "Ad iustitiam", id est ad bona opera facienda.

"Gratias autem". In magna parte iam arguit eos. Sed, ne desperent post illos terrores, blanditias admiscet, ut liceat sperare timenti.

Continuatio: Dico, quoniam, cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis. Sed ego "gratias" ago "Deo, quod", cum "fuistis" etc. "In eam formam doctrine", id est in eam doctrinam, que vos Deo conformat et imaginem Dei in vobis reparat, "in quam" a nobis apostolis "traditi estis". "Servi iustitie", id est obedientes. "Humanum". Post illos terrores, ut dixi, blanditias interposuit. Hoc facto rursus ad exortationem redit rogans, ut saltem tantum iustitie obediant, quantum prius peccato, tantum Deo, quantum primitus diabolo.

Continuatio: Dixi, ut non exibeatis membra vestra membra iniquitatis, sed membra iustitie. Et hoc "humanum", id est remissius, quam deberem, "dico", id est rogo, ut saltem, quantum prius iniquitati, tantum modo iustitie obediatis. Et hoc dico "propter infirmitatem carnis vestre", id est, quia infirmi et imbecilles estis ex passibilitate et mortalitate carnis.

Nota, quod hec exoratio ad salutem non est. Sed loquitur apostolus quasi initiatis et introducendis, ut pedetentim eos ad maiora traheret.

---

[a] Deus] *inter lineas*

"Sicut enim". Vere humanum, quia "sicut" etc., "ita" saltem "et nunc exhibite" etc. "Exhibuistis", id est preparavistis "immunditie" quantum ad vitia corporis. "Iniquitati" quantum ad vitia anime. Et hoc usque "ad iniquitatem", id est ad opera iniqua et perversa. Quasi dicat: Non solum in mente habentes illas immunditias vel iniquitates, sed etiam opere explentes.

"Exhibete", id est preparate, "iustitie" id est bone voluntati. Et hoc "in sanctificationem", id est usque ad sancta opera. "Cum enim". Quasi dicat: Ita, inquam, et nunc exhibete membra vestra servire[a] iustitie, ut omnino peccato non serviatis, quia, "cum essetis" etc. "liberi iustitie", id est remoti a iustitia. "Quem ergo". Quia videlicet tunc fuistis liberi iustitie: ergo "quem fructum", "in quibus nunc erubescitis", id est que fecisse nunc erubescitis. Quasi dicat: nullum. Et vere nullum. Nam "finis illorum", id est retributio, "mors" scilicet ęterna.

"Nunc vero". Tunc nullum fructum id est nullam utilitatem habuistis, sed "nunc liberati a peccato", id est a servitute peccati, "habetis fructum vestrum in sanctificationem", id est virtutes, que sanctificant.[b] "Finem vero", scilicet virtutum,[c] id est remunerationem in futuro "vitam ęternam".

"Stipendia enim". Vere finis illorum mors, "quia stipendia peccati", id et solidata pro peccato "mors" eterna. || 111v

[66*]Super hunc locum Haimo,[174] qui litteratorius erat, dicit stipendium compositum esse ex stips vel stipes stipis et apendo pendis, quia ad pensum primum, non ad numerum solidate tribuebantur militibus.

---

[a] servire] *inter lineas*

[b] virtutes, que sanctificant] *in margine; add, et del:* in sanctis operibus, vel quod iam sancti estis

[c] scilicet virtutem] *inter lineas*

---

[174] Haymo Halberstatensis, *Expositio in epistolas S. Pauli. In epist. ad Rom.* c. 6 (PL 117,418).

[66*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 3 c. 6 (PL 178,881 B).

"Gratia autem". Gratiam vocat premium iustorum, non quia nichil mereantur, sed quia semper Deus super meritum aliquid superaddit. In penis vero semper[a] aliquid minuit minus puniens quam ille meruerit, qui punitur. Unde bene vocatur stipendium, id est solidata, ęterna dampnatio, que ad solum meritum spectat. Vel ideo vocat gratiam, ut meritum extenuet et gratiam Dei amplificet, sicut eum in hac epistola intendere prediximus.

"In Christo", id est per Christum.

---

[a] semper] seper

[Cap. 7.]

"An ignoratis". Quia dixerat, quod non sumus sub lege, sed sub gratia, et in proximo, quod vita ęterna est in Christo Jhesu, diceret aliquis: Nonne legi obediendum est, que bona est et sancta.

Ad quod dicit, quod, cum lex statum habuerit, erat ei obediendum; nunc, quia statum amisit, tenorem ulterius non habet. Et hoc per similitudinem monstrat. Sicut enim mulier alligata est[a] viro, quamdiu vir vivit, nec eo vivente ad alium licet transire, sed eo mortuo ad alterum potest accedere, sic et legi obtemperandum fuit, quamdiu statum habuit. Sed postquam legi mortui sumus et ipsa nobis, nichil amplius ei debemus adveniente vero Josue, id est Christo, qui mortuo Moise nos in terram promissionis introducit.

Continuatio: Vere sub lege non sumus, quia, "an ignoratis", quia "lex in homine dominatur", id est constringit hominem, ut ei obediat, "quanto tempore vivit", id est tenorem habet. Quasi dicat: Imo bene scitis, quia "scientibus legem", id est intelligentibus "loquor".

Et nota, quod precipue hic in iudeos invehitur, qui legem habebant.

"Nam que". Vere quanto tempore vivit et non amplius. Quod per hanc similitudinem monstratur.

"Nam mulier" "alligata est legi", id est viro alligata est per legem matrimonii.

"Itaque". Adaptat similitudinem, quasi dicat: Et "ita", id est ad hanc similitudinem "mortificati". [67*]Competentius videretur dixisse legem nobis mortificatam, quam nos

---

[a] est] *inter lineas*

[67*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 3 c. 6 (PL 178,882 C).

legi secundum predictam similitudinem. Sed quia satis idem est, non curavit distinguere.

"Per corpus" Christi, id est per Christum. Sed tamen non dicit simpliciter: per Christum, sed: per corpus Christi, ut notet in lege illa umbram esse et figuram, in ewangelio vero ipsam veritatem, que est corpus illius umbre, id est Christum, quem umbre ille figurabant.

"Et" hoc ita, "ut sitis alterius", id est Christi, Christo videlicet obedientes, "qui ex mortuis", id est[a] de inter mortuos "resurrexit, ut fructificemus", ad illa proxima singillatim referens. Prius ad primum sic: ut sitis alterius, dico, et ad hoc, ut "fructificemus", id est ut nos apostoli habeamus, id est[b] faciamus illum fructum in vobis, quem Deus approbat; non qui de terrenis est, quem lex promittebat, sed qui de celestibus, iuxta illud: ut habeam aliquem fructum in vobis sicut et in ceteris gentibus.[c] 175 Vel ad posterius ita: qui ex mortuis resurrexit et ad hoc, ut nos omnes "fructificemus", id est habeamus illum fructum, quem Deus approbat.

"Cum enim". Diceret aliquis: Et hunc fructum nonne in lege habebamus? Nequaquam, quia, "cum in carne" id est in carnalibus observantiis. "Passiones peccatorum", id est concupiscentie, que ex fomite peccati proveniebant, id est passibilitate carnis, ut fame, siti, frigore, nuditate et ceteris afflictionibus, que compellebant hominem ad quelibet illicita. "Que", scilicet peccata, id est fomites peccati, "per legem erant", id est occasione legis reviviscebant, que terrena promittebat, quasi alia non essent requirenda. Et ideo illi afflictionibus carnis impellentibus ista precipue concupiscebant.

"Operabantur in membris nostris", id est ita membra nostra preparabant, quod etiam in opera prodiebant perversa, ad hoc tendentes,[d] "ut fructificarent morti", id est, ut tales fruc-

---

[a] id est] *inter lineas*

[b] habeamus, id est] *inter lin.*

[c] iuxta—gentibus] *in margine*

[d] ad hoc tendentes] *inter lineas; add. et del.:* et hoc est, quod supponit

---

175 Rom. 1,13

tus haberent, quos Deus non approbat, qui ad mortem ducunt, in desideriis videlicet terrenorum.

"Nunc autem". Quasi dicat: Tunc constricti lege fructificabamus morti. Sed "nunc", id est in tempore gratie "soluti, qua detinebamur", id est, que nos detinebat, id est constringebat facere, vellemus nollemus, quecumque precipiebat, vel dimittere, quecumque prohibebat.

"In novitate spiritus", id est in novis desideriis, que de spiritalibus sunt. Et "non in vetustate littere", id est in desideriis terrenorum, que littera sonabat, que veteri homini hominem incorporabant.

"Quid ergo". Quia videlicet lex ad mortem trahebat, ergo "quid dicemus"? "Peccatum est", id est mala in se? "Absit", id est nequaquam. "Sed peccatum", quasi dicat: Imo bona est, quia "peccatum", id est quiddam,[a] "non cognovi" esse pecatum, "nisi per legem", quia, ut supra dictum est, per legem cognitio peccati.[176] Ante legem enim non putabant homines peccata nisi opera. Unde Seneca[177] dicebat omne peccatum actionem esse.[b]

"Nam concupiscentiam". Vere peccatum, quia "concupiscentiam", id est consensum concupiscentie, "nesciebam" esse peccatum a parte.

"Non concupisces", subaudiendum est: rem proximi tui, quod est in lege. Non enim prohibita erat omnis concupiscentia, nisi de re proximi id est coniudei. Et ideo per imperfectionem mandati, quod Deus quasi initiatis dabat, primum inducti sunt in omnem aliam concupiscentiam, quam in tantam consuetudinem duxerunt, quod deinde a re proximi concupiscenda, que sub precepto erat, minime abstinebant. Et ita per mandatum, ut iam dicet, augmentatum est peccatum.

"Occasione vero". Quasi dicat: Lex erat bona, quia per legem cognitio peccati, sed tamen "occasione accepta", per

---

[a] quiddam] *inter lineas; add. et del.:* consensum concupiscentie

[b] Ante legem esse] *inter lineas et in margine*

---

[176] Rom. 3,20.

[177] *Aenaei Senecae Cordubensis De moribus liber* n. 1 (ed. Teubner vol. 3 Lipsiae (1853), 462): Omne peccatum actio est.

legem scilicet, "peccatum", id est fomes peccati, "operatum est", id est etiam in opera prodire fecit "per mandatum", hoc scilicet non concupisces rem proximi, "omnem concupiscentiam", id est de omni re tam proximi videlicet quam alieni.

Et nota apostolum hoc loco assumere personam hominis modo ante legem, modo sub lege.

"Sine lege enim". Vere per mandatum, quia "sine lege" "peccatum mortuum", id est fomes peccati mortuus erat, id est non ita vigebat, non tales habebat vires, quales postea.

"Ego autem". Vere mortuum sine lege, quia "aliquando sine lege" existens "vivebam" in virtutibus. Non videlicet concupiscentiis trahebar, sicut postea per legem, que me mortificavit.

"Sed cum". Quasi dicat: Tunc vivebam, "sed cum mandatum", id est lex data esset, "peccatum", id est fomes peccati, "revixit", id est vires accepit, quas prius habuit in primo homine.

"Et" ita "ego", qui prius vivebam, "mortuus". "Ad mortem", id est ad dampnationem. "Quod erat ad vitam", quia, si istis minimis preceptis obedirent, Deus illis maiora revelaret, que ad vitam ducerent.

"Nam". Vere ad mortem, quia "peccatum", id est fomes peccati ad omnia aliena concupiscenda trahens me, quod peccatum esse non credebam, "occasione accepta per mandatum", quod dicebat: non concupisces rem proximi, "seduxit", id est decepit me, erarre me fecit "et" tandem "occidit" me "per illud", scilicet mandatum, quia inductus per mandatum in concupiscentiam alienarum rerum per pravam consuetudinem tandem a re proximi non me abstinebam scienter agens contra preceptum et sic mortuus sum.

"Itaque". Quia per legem cognitio peccati, itaque "lex bona" etc. Inculcatio verborum est ad commendationem legis.

Quod autem dicit propheta: Dedi vobis iudicia non bona,[178] intellige pro aspera, et in quibus non vivetis, quia ad repri-

---

[178] Ezech. 20,25: Ergo et ego dedi eis praecepta non bona et iudicia, in quibus non vivent.

mendam malitiam eorum data sunt, ut Deus illos interficeret. Unde omnes prostrati sunt in deserto et preter paucos nulli ingressi sunt in terram promissionis et dicebant: Deerant nobis sepulcra in Egipto, ut Dominus nos hic occideret.[179]

Nec mireris dura verba prophetarum, quibus licebat. Unde alias: Creans malum[180] Non dixit: faciens, sed creans, eo videlicet modo, quo deterius ponit. Et iterum: Non est malum in civitate, quod non faciat Dominus.[181] Quod intelligendum est de tribulationibus et afflictionibus, que fiunt in mundo Domino immittente.

Cum itaque Dominus eos interfecit, queritur, quid eis contulit per omnem modum.—Ad quod philosophus: Quia, inquit, plus de miraculis habebant et quia credita sunt illis eloquia Dei, que precipue data sunt illis, ut eos Dominus a ritu gentium separaret. Quibus preceptis minimis, ut sepe dictum est, si obedientiam preberent, ad maiora traheret eos Dominus.

"Quod ergo". Quia peccatum per mandatum bonum, quod michi erat ad vitam, occidit me, ergo "quod bonum michi", id est mandatum bonum, quod michi ad vitam, factum est mors, id est versum est in malum?

"Absit", quia bonum malum esse non potest, licet causa mali est bonum, sicut etiam malum causa boni. Bonum autem causa mali esset sicut etiam et boni. Veluti si aliqui duo[a] essent circa monacum religiosum et alteri placeret et alterum torqueret invidia. Sic et mandatum bonum quibusdam erat ad vitam, quibusdam ad mortem. Causa boni malum est coditie, quo Deus bene utitur, sicut bene usus est scelere Iude, ad salutem videlicet omnium. Deus etiam causa mali dicitur iuxta illud: Hic est positus in ruinam et resurrectionem multorum.[182] Et alibi: Si ego non venissem ad eos,

---

[a] duo] *inter lineas*

---

[179] Exod. 14,11: Forsitan non erant sepulcra in Aegypto; ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine.

[180] Is. 45,7

[181] Amos. 3,6

[182] Luc. 2,34

minus peccatum haberent; sed quia ego veni et locutus sum cum eis, nullam excusationem habent.[183] Multis de causis idem de ewangelio dici non potest, quia lex imperfecta dabat precepta, que, ut dicit apostolus, ad perfectum nichil perduxit,[184] quia terrena promittebat, quasi alia non essent petenda, quia constringebat, et ideo nolentes etiam et invitos trahebat semper ad obedientiam. Lex vero Christi totum in libertate ponit nec cogit, quasi dicat: Modo liberalitatem vestram experiar; et ita nobis voluntatem inmittit, quia
112r que preci || piuntur vel prohibentur alicui, ne faciat, semper contra vult reniti, quoniam nitimur in vetitum semper cupimusque negata.[185] Et ideo Christus, noster legislator, omnes istas occasiones removens mitiorem dedit legem, non solum perfectiorem, que non perstringit, que non punit opera iuxta illud: Iugum meum suave est et onus meum leve.[186]

Obicitur de penis, que cotidie exercentur in ecclesia, sicuti de suspensione latronum, in quibus non minus crudele videtur ewangelium quam lex. Iterum de eo, quod dicitur in ewangelio: Domine, ecce duo gladii hic,[187] quorum unus significat materialem gladium, qui est in manu regis, alter gladium spiritalem, qui est in manu ęcclesie. Et iterum: Omnis potestas a Domino Deo,[188] et: Qui resistit potestati, ordinationi Dei resistit.[189]

Ad quod philosophus: Hec, inquit, instituta de precepto ewangelii non habentur, sed tamen a doctoribus ęcclesie approbata sunt et divina ordinatione fiunt. Et iste gladius materialis potius Cesaris est quam Christi, qui ante adventum Christi institutus est, quem postmodum ęcclesia non removit sicut nec leges Romanas.

---

[183] Joh. 15,22

[184] Hebr. 7,19

[185] Ovidius, *Amor.* lib. 3, eleg. 4 vers. 17.—Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli* ad Rom. lib. 3 c. 7 (PL 178,889).

[186] Matth. 11,30

[187] Luc. 22,38

[188] Rom. 13,1

[189] Rom. 13,2

Queritur, quid reo proficiat suspensio.

Ad quod philosophus: Hec, inquit, pena ad hoc ei prodest, quod propter hoc peccatum mortem ęternam non incurret, si cetera non impediant, quia Dominus non iudicabit bis in idipsum.[190] [a] Quod etiam beatus Jeronimus[190a] dicit de eis, qui prostrati sunt in deserto. Si autem, inquit, nulla peccata in eo precesserint, propter que eternaliter puniatur, quamvis anima in illa pena titubans et quasi extra se posita propter illas angustias de corpore exeat sine dilectione Dei, in alia tamen vita, cum ei revelabitur, quod Deus eam non[b] puniet eternaliter—quia, ut beatus Jeronimus [191] dicit, multa animabus revelantur post hanc vitam, que hic revelata non sunt—statim Deum incipiet diligere et in illa dilectione salvabitur. Sicut econtra, si aliquis male vixerit et in extremo tamen puncto vite sue Deum dilexerit, anima de corpore egrediens, cum penas sibi paratas viderit, Deum habebit odio, in quo dampnabitur.

Quod autem obicitur: In quacumque hora peccator ingemuerit peccatis suis:[192] dicit: Si in illa dilectione perseverat, quia amor momentaneus ad gloriam non sufficit.

[68*]Iterum, quod obicitur: diligo diligentes me,[193] id est perseverantes.

"Sed peccatum". Nequaquam bonum mandatum versum est in mortem, sed "peccatum", id est fomes peccati, ut videlicet

---

[a] idipsum] id *inter lineas*

[b] non] *inter lineas*

---

[190] Nahum 1,9

[190a] Hieronymus, *Commentariorum in Naum liber*, c. 1 (PL 25,1238).

[191] Cf. Hieronymus, *Commentariorum in Amos* lib. 3 c. 9 (PL 25, 1089). Cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 3 (PL 178,837 sq.).

[192] Cf. Ezech. 33,12. Haec forma saepius apparet. Cf. *Sent. Herm.* c. 35 (PL 178, 1756 B).

[193] Cf. Joh. 14,21

[68*] Cf. *Sent. Herm.*, c. 32 (PL 178,1748 C).

"appareat peccatum", id est nocens, "operatum est michi mortem", id est traxit me ad talia, que mortem inferunt. Et hoc "per bonum", id est mandati occasione, quod bonum est. "Ut fiat". Ita, inquam, operatum est, ut "peccatum", id est fomes peccati, "fiat peccatum", id est ad perversa opera stimulet et ducat per pravam consuetudinem.

"Supra modum", id est super id, quod fieret, si mandatum non esset.

"Scimus enim". Vere lex sancta est, quia nos "scimus, quoniam lex spiritualis", id est bona per Spiritum Sanctum data digito Dei scripta.

Sed ego "carnalis sum". Homo carnalis est, qui perversis concupiscentiis se subicit, quibus habenas sui regiminis permittit, ita quod post illas trahitur per pravam consuetudinem.

"Venumdatus". Adam venumdedit se diabolo, qui ei immortalitatem promisit, ut ei obediret. Sic et ille venumdat se peccato, id est perversis concupiscentiis, qui, ut eas expleat, ad quelibet illicita pronus est, ut ad furtum, ad homicidium et huiusmodi.

Et nota apostolum hoc loco, ut supra meminimus, generalem personam sumere.

"Quod enim". Vere venumdatus, quia, "quod operor", "non intelligo", id est credo non esse faciendum, et ita scienter Deum contempno.

"Non enim". Vere non intelligo, quia, quod "volo", id est approbo, non "hoc ago". [69*]Velle enim pluribus modis etiam in Deo accipitur. Dicitur enim Deus aliquid velle,[a] id est disponere, que voluntas semper efficaciam habet, nec ei resisti potest. Dicitur etiam velle aliquid, id est aprobare, que voluntas non semper efficax est. Sepe enim illud, quod Deus approbat vel consulit fieri, non facimus nec facere volumus. "Sed quod odi", id est quod non approbo. "Quod nolo", id est non aprobo. "Consentio legi", id est legi concordo, in hoc

---

[a] velle] *inter lineas*

[69*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 3 c. 7 (PL 178,894 A,895 C); *Sent. Herm.* c. 26 (PL 178,1735 C sq.).

videlicet, quod ego non approbo, quod ipsa prohibet. Et hoc est, "quoniam bona est", que videlicet prohibet, quod faciendum non est. Et ideo, quia videlicet, quod nolo, illud facio, "nunc iam non ego" etc., id est ex natura mea non facio, sed ex vitio apposito, id est ex accidente. Quod videlicet vitium habitat in me per pravam consuetudinem.

"Scio enim". Vere habitat in me pecatum, quia scio, quod "bonum in carne mea", id est in me carnali "non habitat". Quasi dicat: Si ad tempus est in me, transitorium est, hospitium habet et non est perseverans. Et vere non habitat, quia, quod approbo, facere non possum. Et hoc est "nam velle", id est approbare, "adiacet", id est naturaliter insitum est michi. Sed tamen "perficere", id est ad effectum ducere, quod aprobo, "non invenio", id est in mea potestate non est prava illa consuetudine dominante.

Est enim de peccato sicut de quolibet rege, qui, dum novus est et recens, facile populus eum potest expellere; sed cum in regno confirmatus fuerit et in consuetudinem duxerit, nolente etiam populo regnabit nec ei populus resistere poterit. Sic et peccatum, dum habet hospitium, facile expellitur. Sed, cum in consuetudinem venerit, nolentem etiam trahit; qui nullo modo ab hoc carcere liberari potest, nisi aliqua nova ei detur gratia, qui iam est Lazarus quatriduanus, qui resuscitari non poterit, nisi Deus ad eum venerit, qui lapidem removeat.[a]

De iusto idem obicitur, quod videlicet, cum iustitiam in consuetudinem duxerit, amplius relabi non potest.

[70*]Ad quod philosophus: Hoc, inquit, verum non est, quia iustus fomitem illum peccati habet, unde facile potest cadere. Ille vero predictus Lazarus et illum eundem fomitem habet et rationem prava consuetudine enervatam. Unde surgere non potest, nisi novum donum a Deo ei tribuatur. Primum

---

[a] removeat] *add. et del.:* ab illo videlicet, qui post peccatum trahitur

---

[70*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 9 (PL 178,917 D sqq.); *Sententiae Parisienses* in fine.—Cf. etiam A. Landgraf, "Die Erkenntnis der helfenden Gnade in der Frühscholastik," *Zeitschrift für katholische Theologie,* (Innsbruck) 55 (1931), 219 sqq.

tamen ratio illius libera erat, in quam partem vellet vergere et natura facilior in eam partem, quam ratio eligeret, declinare, sicut natura cuiuslibet hominis. Deus enim, nisi hominem talem in prima creatione prepararet vel nisi postmodum ad singula facienda singulas gratias ei conferret, quibus opus haberet, ut ea faceret, potius in culpam trahendus esset quam homo, qui, quantum posset, ad hoc niteretur, ut ea faceret, que facienda essent. Unde Dominus, inquit, homini imprimis rationem, qua inter bonum et malum discernat, confert; deinde fidem, ut ea sic credat, que rationabiliter dictat ei ratio credenda, Deo etiam monstrante, ad quod niti debeat.

De duobus tamen, quibus equalis data est ratio, unus nititur et laborem suscipit, ut ad illud bravium veniat, quod ei a Deo monstratur; alter vero, quia piger est, cum tamen possit, tantum laborem non vult suscipere nec, cum ardua sit, viam aggredi, cum tamen Deus utrique, quod debet, equaliter faciat. Quod in institore liquidum est, qui duobus equum suum exponit ad vendendum et equaliter, quantum in se est, laudando equum equi probitates enumerando utrumque incitat. Alter tamen laborem suscipiens equum emit. Alter vero, cui fortasse equus equaliter placet, sola pigritia refutato labore equum amittit. Eodem modo Deus hominibus equum suum exponit. Sed pauci viam aggrediuntur, ut bravium accipiant. Aggredienti vero quid facit Deus? Labores alleviat, viam ei preparat et multis modis eum consolatur. Non ita tamen, inquit, dicimus solam rationem et fidem sufficere. Deus enim quedam etiam bona cum ipsis hominibus creat, quibus facilius resistunt vitiis. Sicut enim quosdam hebetes creat, quosdam ingeniosos, sic quosdam naturaliter fortes, quosdam debiles. Quibus tamen minus confert, illos tales preparat, ut, si velint operam dare, ad predictum bravium attinguere queant.

[71*]Et sciendum, quod non omnes, qui iudicium rationis habent, virtutibus salvantur, cum tamen salventur. Ut enim

---

[71*] *Sent. Herm.*, c. 32 (PL 178,1749 D sq.).

Boetius[194] super illum locum Aristotelis:[195] tales sunt scientie et virtutes, astruit, virtus est habitus animi optimus. Caritas vero non omnis virtus est, quia non est habitus, cum sit facile mobilis et nondum firmata. Sunt enim multi, qui aliquando summa dilectione ardescunt in Deum, quam facile tamen amitterent. Sed Deus sepe tales ad se trahit iuxta illud: Et rapuit eum de terra, ne malitia mutaret animum illius.[196] Ad hunc autem amorem momentaneum sepius homines pessime vite veniunt, sed tamen ad idem redeunt veluti meretrices, que ad tempus precipua compunctione de peccatis ingemiscunt. Et ideo quanto qui deteriores sunt, tanto post derelictam malitiam meliores. Propter quod dicitur: Utinam aut calidus aut frigidus esses.[197] Tepidus enim vix ad aliquam perfectionem venit.

"Non enim". Vere non invenio, quia quod "volo", id est approbo "bonum, non hoc facio", sed quod "nolo", id est non approbo malum, "hoc ago" et nolens perversa consuetudine pressus. Et ideo, si quod "nolo", id est non approbo, non "ego illud" etc., id est ex mea natura non illud facio, ut supra, sed ex vitio apposito, quod iam me post se trahit.

"Invenio igitur". Ex duobus infert, quia lex spiritualis est. Lex cognitionem peccati attulit, quoniam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces. Igitur "invenio legem bonum", id est rem bonam et utilem "michi". Et vere bonum, quia ego ei concordo approbans, quod ipsa

---

[194] *In Categorias Aristotelis* lib. 3 (PL 64,242): Virtutes quoque in eodem genere ponendae sunt. Virtus enim nisi difficile mutabilis non est, neque enim quod semel iuste iudicat iustus est, neque qui semel adulterium facit est adulter, sed cum ista voluntas cogitatioque permanserit. Aristoteles enim virtutes non putat scientias, ut Socrates, sed habitus in Ethicis suis declarat. Quocirca constat esse habitus stabiliter permanentes difficileque mutabiles, hoc tantum excepto, ut non eas vis aliqua maior alicuius permutationis impellat et destruat.

[195] κατηγορίαι c. 8. (*Aristoteles latine*, Berlin [1831] 5a). Boethius, *In Categorias Aristotelis* lib. 3 (PL 64,240).

[196] Sap. 4,11

[197] Apoc. 3,15

approbat, et hoc est[a] michi, dico, "volenti", id est approbanti "facere", quod videlicet ipsa approbat.

"Quoniam michi". Diceret aliquis: Et quare *volenti* dicis et non *facienti*. Quia videlicet "malum", id est res mala, scilicet concupiscentia carnalis, "adiacet michi", id est iam tamquam naturaliter per pravam consuetudinem inest michi quasi altera natura, que me a faciendo, velim nolim, retrahit.

112v || "Condelector enim". Bene dico: volenti, quia "condelector", id est lex Dei placet, "secundum interiorem hominem", id est secundum rationem, in qua interior homo ad similitudinem Dei creatus est, id est anima.

"Video". Condelector, inquam, sed tamen "video aliam legem", id est concupiscentiam carnalem, que me constringit, ut, quod nolo, operer, que est in membris meis, id est, que sedem habet in membris meis. Alia enim est oculorum concupiscentia, quibus, que concupiscenda non sunt, concupiscimus. Unde dictum est: Averte oculos tuos, ne videant vanitatem.[198] Alia vero est gule, que per pravam consuetudinem non desideranda desiderat. Alia in genitalibus consistit, que propter nimios potus vel commestus in libidinem facilius prorumpit. Et ideo lex ista, que in membris est, repugnat legi mentis, id est rationi, que facienda suggerit, per quam opus legis in cordibus quasi scriptum habemus. Contra hanc autem legem, que in membris est, consuluit nobis superius dicens: Sed neque exhibeatis membra vestra membra iniquitatis,[199] sed membra iustitie, reprimendo videlicet motus carnis illicitos et membra talia preparando, ne aliqua occasione in eis regnet concupiscentia, ne lex membrorum legi mentis prevaleat nec post concupiscentias trahamur iuxta illud Salomonis: Post concupiscentias tuas non eas, sed a voluntatibus tuis avertere.[200] Et iste due leges repugnantes[b] sunt in anima una, que ratione sug-

[a] est] *inter lineas*
[b] repugnantes] *inter lineas*

[198] Psalm. 118,37
[199] Rom. 6,13
[200] Eccli. 18,30

gerente quedam concupiscit; quedam fomite peccati, qui est in carne, id est carnis passibilitate appetit, que appetenda non sunt, quia spiritus adversus carnem et caro adversus spiritum concupiscit. Et hunc conflictum habere vel sentire peccatum non est; sed perversis concupiscentiis consensum prebere et habenas tradere. Qui conflictus vel lucta resistentibus ad premium est et coronam iuxta illud Salomonis: Melior est patiens viro forti, et, qui animo suo dominatur, fortior expugnatore urbium.[201] Et hoc est: "video aliam legem in membris meis repugnantem", id est contradicentem "legi" etc.

"Captivantem", id est, que me quasi captivum et miserum nolentem etiam trahit "in legem peccati", id est in se ipsam, que est lex peccati, id est que me constringit ad opera perversa. "Que est in membris", id est que proprias sedes, ut dixi, in membris habet.

"Infelix". De hac lite clamat ad Deum dicens: "Ego infelix", quia post peccatum trahor cum primo parente. "Quis me liberabit de corpore", id est de hoc carcere, de hac lege carnis, que provenit ex passibilitate corporis, que lex mortis est, quia ad mortem ducit.

"Gratia Dei", id est donum Dei gratuitum, scilicet illa summa dilectio, quam Deus nobis exhibuit per mortem Filii sui, qua maiorem nemo habere potest.

"Igitur ego ipse", quia videlicet habeo legem in membris meis repugnantem legi mentis mee et captivantem me in legem peccati, igitur "ego ipse" etc., id est ego approbo ratione mea, que lex Dei approbat.

"Carne autem", id est passibilitate carnis, "servio legi peccati", id est concupiscentiis perversis, que ad prava opera me trahunt tamquam servum.

---

[201] Prov. 16,32

[Cap. 8.]

"Nichil". Quia videlicet gratia Dei per Jhesum Christum de hac servitute liberat, igitur "nunc", id est in tempore gratie, "nichil dapnationis" etc. "Qui non secundum carnem ambulant", id est, qui non trahuntur post concupiscentias.

"Lex enim". Vere gratia Dei per Jhesum Christum a corpore mortis huius me liberabit, quia "lex spiritus vite", id est ille summus amor, qui nobis infusus est per Spiritum Sanctum, qui amor vite est, id est ad vitam ducens, quem habemus per Christum Jhesum, qui et lex dicitur, quia nos Deo ligat et coniungit.

"Liberabit a iugo[a] peccati", id est a servitute peccati, que ad mortem trahit.

"Nam quod". Ostendit, quomodo hec summa nobis sit infusa dilectio, per mortem videlicet Filii Dei. Quasi dicat: Vere nichil dampnationis est his, qui sunt in Christo Jhesu. Nam "Deus mittens Filium suum in similitudinem carnis peccati", quia carnem assumpsit similem carni peccatrici, que tamen omnino erat a peccato immunis. Hic enim erat ęneus serpens, quem Moyses[202] erexit in deserto, qui verus serpens non erat, sed similitudinem serpentis habebat. Sicut enim ille eneus salvabat homines ab ignitis serpentibus et veris, sic et Christus, qui similitudinem carnis peccatricis habebat, nos, qui illi tamquam eneo et petre adheremus et in cordibus per amorem erigimus et portamus, salvat a peccato, cuius veneno mortui eramus.

"Et". Expletivum videtur, quasi dicat: Mittens, inquam, Filium "et dampnavit peccatum", id est mortificavit "de peccato", id est per hostiam pro peccato, id est per carnem suam immolatam.[b] In lege enim quedam hostia peccatum

[a] lege] luge
[b] id est per carnem suam immolatam] *inter lineas*

[202] Num. 21,8 sq.

dicebatur, id est hostia pro peccato, ut hircus emissarius,[203] quedam vero hostia laudis. [72*]Vel "de peccato", id est per illum summum amorem, quem nobis infudit per carnis passibilitatem, in qua passus est. Qui amor usque ad inimicos extensus est, quem ipse[a] non solum predicavit, sed etiam exemplo complevit, qui in cruce positus dicebat: Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.[204] Quod solum in passione beati Stephani invenimus, qui flexis genibus pro inimicis orabat dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.[205] Alii enim sancti in suis agonibus crudeliores esse videntur. Unde Laurentius: Assatum est, versa et manduca. Vincentius: Insurge in me, diabole, et toto malignitatis spiritu debaccare et tanto plus me posse invenies. Per hanc itaque dilectionem precipuam peccatum extinxit in nobis. Nullus enim est, quantumcumque carnalis, qui passionem dominicam, que adeo gravis est, adeo ignominiosa, ad memoriam duceret, quam ipse etiam innocens pro nocentibus sustinuit, quin statim tota ab illo abscederet carnalitas, que etiam diu a mundo abscessisset, si predicatores essent, quales oporteret, qui et verbo et exemplo instruerent, qui iustitie rigorem tenerent nec Dominum venderent, quem etiam pro minori pretio vendunt, cum nummum accipiant, nec etiam argenteum, quam Judas, qui triginta accepit argenteos. Hac autem de causa monachi in capitulo ante se habent crucifixum, ut videlicet memores dominici doloris, qui dicebat: Non est dolor sicut dolor meus,[205a] quicquid patiuntur, ut supra meminimus, pro nichilo accipiant, cum etiam se iuste affligi cognoscant.

Et nota secundum hanc lectionem predictam coniunctionem non expletivam esse, quasi dicat: Cum etiam[b] per

---

[a] ipse] *inter lineas*
[b] etiam] *inter lineas*

---

[203] Lev. 16,22
[204] Luc. 23,34: Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.
[205] Act. 7,60.
[205a] Thren. 1,12

[72*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 3 c. 8 (PL 178,898 C); lib. 2 c. 3 (PL 178,836 A sq.).

infirmitatem suam tantum bonum nobis contulerit, quid de virtute dicemus?

"In carne", scilicet sua vel etiam nostra. "Ut iustificatio legis impleretur", id est iustitia illa, scilicet dilectio Dei et proximi, que in lege incepta est, in nobis plena et perfecta esset, ut etiam inimicos diligeremus iuxta illud: Diligite inimicos vestros. Si enim eos diligitis, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?[206]
"Qui non secundum carnem ambulamus", id est qui habenas perversis concupiscentiis carnis non tradimus. "Sed secundum spiritum", id est qui ea facimus, que spiritus, id est ratio, suggerit. "Qui enim". Bene dico: qui secundum spiritum ambulant, et non: qui secundum carnem, quia, "qui sunt secundum carnem", id est, qui suum esse in carne ponunt, "sapiunt", id est diligunt ea, "que carnis sunt", quasi dicat: inferunt eis saporem id est delectationem. "Qui vero secundum spiritum", id est, qui suum esse in spiritalibus ponunt, "sentiunt", id est diligendo iam in se pregustant ea, ad que spiritus, id est amor Dei, ducit.

"Nam". Vere non in talibus est, sed in talibus est amor ille divinus. Nam "prudentia", id est experientia, "carnis mors est", id est ad mortem ducit. "Prudentia spiritus", id est experientia, "vita et pax", id est ad vitam ducens, ubi summa pax est. Per quam etiam hic pacem habemus, quia sedat et pacificat motus illicitos.

"Quoniam sapientia". Vere mors est, quia "inimica est Deo", id est scienter agit contra Deum nullo modo dimittens, quod scit propter Deum esse dimittendum, nec faciens, quod intelligit faciendum esse.
"Legi enim". Vere inimica, quia Deo obedientiam non vult exhibere. Et hoc est,[a] quia "non est subiecta", id est obediens, "legi Dei", id est eis, que lex Dei precipit.
"Nec enim potest". Dico, quod non est subiecta, quia nec etiam potest, nisi Deus, ut dictum est, novam gratiam ei conferat, qui iam post peccatum trahitur. Et ideo, qui "in

[a] est] *inter lineas*

[206] Matth. 5,44,46

carne sunt", id est quos carnalitas ducit, "Deo placere non possunt", scilicet nisi Deus novum donum eis dederit.

"Vos autem". Quia dixerat, qui in carne sunt, Deo inimicos esse, Deo non placere, ne putarent hoc ad se retorqueri et sic desperarent, supponit: "vos autem" etc., id est post carnem non ducimini, sed spiritum sequimini, id est rationem.

"Si tamen". Sed quia apostolus propter illos mentiri noluit, subiungit: "Si tamen spiritus Dei habitat", non dico: est in vobis, sed: "habitat", id est non hospitium, sed iam mansionem in vobis habet.

"Si autem". Diceret aliquis: Estne ita magnum vel necessarium habere spiritum Dei?—Revera, quia, qui spiritum illius non habet, membrum Christi non est. Et hoc est "qui spiritum Christi" etc. Per hoc, quod dicit: spiritum Christi, monstrat Christum Deum esse, cum ostendat spiritum Dei id est[a] dilectionem Dei Christi esse.

"Si autem". Rursus diceret aliquis: Et si spiritum Dei habemus, evademus nos mortem istam corporalem? Nequaquam, sed mortem anime. Et hoc est: et "si Christus", id est dilectio Christi, "in vobis est", tamen "corpus" vestrum "mortuum" est, id est mortale remanet, et hoc propter "peccatum" vel vestrum vel alterius. Sed "spiritus", id est anima "vivit", libera scilicet a iugo peccati. Vel "spiritus", id est ratio, que tunc vivida est et valens, quando in virtutibus consistit. Et hoc "propter iustificationem", id est per dilectionem Dei et proximi, reddendo scilicet unicuique, quod suum est, diligendo proximum non propter se proximum, sed propter Deum, Deum autem super omnia et propter se; non in eo nostra querendo commoda, ut videlicet sic et nos ambulemus sicut ipse ambulavit dicens: Novum mandatum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.[207] Novitas autem in hoc non fuit, quod dilexit, sed quod sic dilexit in nobis sua non querendo, sed nostra.[b] Sic et Deum diligere debemus, ut in illo nostra non queramus, sed propter se, ut,

---

[a] id est] *inter lineas*
[b] sed nostra] *inter lineas*

---

[207] Joh. 13,34

quia summe bonus est, eum summe diligamus. Proximus iterum non propter sua vel propter se diligendus est, sed propter Deum, ut diximus;[207a] nec tamen omnis proximus eque amandus est, sed singuli in dilectionem pensandi sunt secundum meritorum quantitates, ut meliorem plus diligamus, plus etiam fratre nostro carnali. Sed tamen, ut supra meminimus,[207b] maiorem curam fratri vel patri impendere debeo in temporalibus quam monacho religioso, quem tamen plus diligo, quoniam institutus sum a Deo, ut illis provideam.

"Quod si". Quasi dicat: Dico, quod corpus quidem mortuum est usque adhuc, spiritus vero vivit. Sed si perseveramus in dilectione Dei, Deus tandem vivificabit corpora aptando ea ad gloriam. Et hoc est quod, id est sed, "si spiritus eius", id est dilectio eius, scilicet Dei Patris, quia in illis Pater commemorandus est, que spectant ad divinam potentiam.

"A mortuis", id est de inter mortuos. "Habitat", id est perseverat. "Vivificabit", id est ad vitam resuscitabit et ad gloriam "corpora mortalia", que videlicet adhuc mortalia
113r sunt; que tunc inmortalia et incorruptibilia faciet. ||

Sed, cum quedam corpora vivificabuntur ad vitam, quedam ad mortem, apostolus non intelligit nisi eam resurrectionem, que fit ad gloriam. Quod notat illa coniunctio interposita, quasi dicat: Sicut caput nostrum resuscitavit ad gloriam, ita et, id est[a] etiam, corpora nostra resuscitabit.

"Debitores". A superioribus pendet, quasi dicat, quia prudentia carnis mors est, prudentia spiritus vita et pax.[208]

"Ergo fratres" etc. Id est carnem non debemus sequi. Et ne quolibet modo intelligerent se non debitores esse carni, ut videlicet carnem cibis et aliis necessariis non sustentarent, determinat dicens: "ut secundum carnem vivamus",

[a] et, id est] *inter lineas*

[207a] Cf. pp. 44 et 105
[207b] Cf. p. 44
[208] Rom. 8,6

id est, ut vitam in carne ponamus, perversis scilicet concupiscentiis carnis tradendo habenas nostri regiminis.
"Si enim". Vere secundum carnem vivere non debemus, quia, "si secundum carnem vixeritis, moriemini", id est dampnabimini. "Si autem". Moriemini, si secundum carnem vivitis. Et econtrario dico: si "mortificaveritis facta carnis", id est ea, que caro suggerit fieri, "spiritu", id est amore Dei "vivetis", vita videlicet ęterna. Et vere vivetis, quia "quicumque aguntur spiritu Dei", id est quoscumque amor Dei ducit, non caro, "hi sunt filii".
"Non enim". Et bene ad hoc potestis venire, ut videlicet spiritu carnis facta mortificetis, quia vos "non accepistis spiritum servitutis in timore", id est timorem, qui servos facit, non filios, qui tamen donum Dei est, quia initium sapientie timor Domini. Et hoc "iterum", id est sicut priores, qui timore pene Deo obediebant, quam lex minabatur.

Et nota, quia peccatum non est timere penas, quas Deus statuit[a] vel temporales vel ęternas, sed propter se timere et ideo Deo servire. Pene enim propter Deum etiam timende sunt, ut in omnibus Deus statuatur finis.

[73*]Sed "spiritum adoptionis filiorum", id est donum illud spiritale, quod Deus dat filiis suis adoptivis, id est dilectionem suam. Deus enim, cum unum tantum filium consubstantialem habuit nec plures habere potuit, plures adoptavit sibi in filios, ut suos heredes faceret, coheredes autem Christi, more hominum, qui, cum filios non habent, volentes tamen quoquo modo habere filios, aliquos eligunt et adoptant in filios, quos suos heredes statuant.
"In quo", scilicet spiritu, id est in qua dilectione, "clamamus" cum magna videlicet securitate dicentes non: Domine, Domine,[209] sicut fatue, quibus dictum est: nescio vos,[210] sed: Pater, ut ex ipso vocabulo intelligatur potius Deo ser-

[a] statuit] *inter lineas*

[209] Matth. 25,11
[210] Matth. 25,12

[73*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 3 c. 8 (PL 178, 902 B).

viendum esse amore quam timore. Unde et ipsa veritas in sua oratione non preponit: Domine, sed: Pater, dicens: Pater noster, qui es in celis,[211] quia non venerat servos facere, sed filios, sed amicos iuxta illud: Non dicam vos servos, sed amicos.[212] Prior autem populus Deum non appellabat Patrem, sed Adonay, id est Dominum, quia ex timore serviebat. Hac etiam de causa prelati ęcclesie patres appellantur, ut intelligant se potius debere diligi quam timeri, plus prodesse quam preesse. Et hoc est "clamamus: abba, Pater".

[74*] Abba sirum est et ebreum; pater grecum et latinum. Et per hec duo nomina, que patrem significant, notat duos populos, id est iudaicum et gentilem, tamquam duos parietes in ęcclesia coniunctos per illum angularem lapidem[a] Christum Jhesum.

"Ipse enim Spiritus". Bene dico: in quo clamamus: abba, pater more filiorum, quia "ipse Spiritus", id est amor Dei, quem habemus, "reddit testimonium spiritui", id est animam nostram securam efficit sub hoc scilicet testimonio, quod "sumus filii Dei".

"Si autem". Quasi dicat: Estne ita magnum esse filios Dei?—Revera, quia, "si filii" etc, id est participes ęterne glorie et hoc Christo capite, cuius sumus coheredes, qui primogenitus est in fratribus.

"Si tamen". Sicut superius dixit: Vos autem in carne non estis, si tamen spiritus Dei habitat in vobis, sic et hoc loco, cum dixerit in proximo: heredes Dei, coheredes autem Christi, supponit dicens: "si tamen compatimur". Quasi dicat: Ad hanc gloriam veniemus, "si tamen compatimur", id est parati sumus compati Christo, ut videlicet, quod ipse pro nobis fecit, ei reddere presto simus sustinendo propter Deum pugnam et cum hostibus exterioribus et interioribus,

[a] lapidem] *inter lineas*

[211] Matth. 6,9
[212] Joh. 15,15

[74*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 3 c. 8 (PL 178, 902 C sq.).

id est motibus illicitis, cum quibus nobis lucta est ad coronam.

"Ut et simul". Consecutivum est, non causale. Quasi dicat: Si Christo compatimur, hoc consequetur, quod "simul", id est cum Christo, glorificabimur.[a]

"Existimo enim". Et utique compatiendum est, quia ego, cui credendum est,[b] existimo, quod "passiones huius", scilicet tam brevis, "non sunt condigne", quia semper Deus in illa gloria plus dabit, quam nos meruerimus. "Que revelabitur", quia, cum modo occultum sit, tunc cognitum erit et revelatum omnibus, qui sint filii Dei.

"Nam expectatio". Vere revelabitur, quia fideles, quos Deus non decipiet, illam revelationem expectant. Et hoc est "nam expectatio expectat". Ista geminatio perseverantiam notat, quasi dicat: perseveranter expectat: quale est illud: Euntes ibant,[213] quia quidam eunt et non euntes, quia redeunt; quidam eunt euntes, quia in eundo perseverant.

Et cuius sit hec expectatio, perseverans scilicet in spe, ostendit dicens: "creature". Et vocat creaturam illos, qui illam munditiam, quam in prima creatione habuerunt, student servare; vel illam, quam postmodum in recreatione acceperunt per aquam regenerationis. "Revelationem filiorum", id est gloriam, que in filiis Dei revelabitur.

"Vanitati enim". Vere expectat, quia omnia ista ei vilescunt et tota ad celestia suspirat. Et hoc est, quia "vanitati", id est vanis istis est "subiecta non volens", quia iam vellet dissolvi et esse cum Christo. Sed tamen istas miserias sustinet "propter eum", scilicet Deum, qui "subiecit", id est eam subiectam fecit, et hoc in spe, que est illi ad consolationem, ne in istis afflictionibus deficiat. Habemus enim spem, ut amplius dicit in epistola ad Ebreos, quasi anchoram,[214] que nos securos reddit. Sicut enim anchora navim tuetur et tenet, ne inter illas maris inundationes pereat, sic et nos

---

[a] glorificabimur] glorificabimus
[b] ego—est] *inter lineas*

---

[213] Psalm. 125,6
[214] Hebr. 6,19

spes sustinet, ne inter has mundi procellas periclitemur. Unde etiam Seneca[215] dicit, quod, cum quis in periculis est, cogitet deteriora et sic consolationem habebit. Quam ergo magnum habent gaudium, qui ęterna bona expectant scientes, quod, qui corpus interficiunt, animam interficere non possunt.

Et nota, quod dicit: qui subiecit in spe, quia, cum Adam post peccatum se nudum invenerit et fecerit sibi coopertorium quoddam de foliis arborum, ut sua pudenda tegeret,[216] Dominus postmodum, cum eum eiecerit videns eum nudum, bene vestitum illis dedit pellicias,[217] a quibus postea pelliciam assupsit, id est carnem. Et ex hoc dono confortatus est Adam cognoscens, quia non omnino a Domino separatus erat.

"Quoniam et ipsa". Ostendit, in qua spe subiecerit eam. In hac videlicet, "quoniam et ipsa liberabitur a servitute corruptionis", id est a corruptione, que eam constringit, quam vellet sentire itura "in libertatem glorie filiorum", id est in gloriam, que filiis Dei dabitur, in qua ita libera erit, quod nichil suo resistet desiderio.

"Scimus enim". Dixit, quia fideles, quos per creaturam accepit, liberabuntur a servitute corruptionis in libertatem glorie. Quod modo probat, quoniam videlicet et minores electi et maiores ad illam liberationem suspirant, quos Deus nullatenus fallet.

Continuatio: Vere liberabitur creatura, quia "nos scimus", qui experti sumus et a maioribus et a minoribus, quod "omnis creatura", id est illi, qui toti sunt creatura. Illi autem creatura toti dicuntur, scilicet minus perfecti,[a] qui ad alios creandos non sufficiunt, sed ipsi etiam instructione aliorum cotidie indigent. Alii vero, qui maiora dona habent,

[a] scilicet minus perfecti] *in margine*

[215] Epistola ad Lucilium, 24.
[216] Gen. 3,7
[217] Gen. 3,21

alios creant et filios Deo generant. Unde apostolus: Filioli mei, quos ego in Domino per ewangelium genui.[218]

"Ingemiscit", id est suspirat ad illam videlicet liberationem. "Parturit", id est meditatur de fructu habendo, ut ad perfectionem veniat. "Sed et nos ipsi", scilicet maiores, "primitias spiritus", id est maiora dona. "Et ipsi". Geminatio perseverantiam gemitus notat. "Gemimus intra nos", id est cum magno desiderio ad illam gloriam hanelamus. "Expectantes adoptionem filiorum", id est illam gloriam, quam Deus promittit filiis adoptivis. "Redemptionem corporis nostri" id est corporis ęcclesie, cuius nos sumus membra.

"Spe enim". Bene dico: expectantes et nondum habentes, quia "spe" tantum "salvi facti sumus". Vel sic: Dixi: expectantes. De qua expectatione non est hesitandum, quia "spe",[a] que non decipit, "salvi facti sumus."

[75*]"Spes autem". Diceret aliquis: Est ne spes de talibus?— Revera de talibus, que non videntur, quia "spes" etc., id est de eo, quod pro certo tenemus, "non est spes". Et est oppositio in adiecto, quia spes et fides de non apparentibus est. "Nam". Vere de eis, que videntur, non est spes, quia "quod quis", id est aliquis etc., id est pro certo tenet.

"Si autem". Quasi dicat: Ita spes nostra de non apparentibus est.[b] Sed tamen, "si", id est quamvis, "speramus" id, quod "non videmus", id est que non apparent, non deficimus. Imo "expectamus per patientiam", id est sustinendo miserias istas cum perseverentia, in quibus nos reddit spes patientes, que nos,[c] ut supra meminimus,[219] quasi anchora sustinens non sinit in his inundationibus periclitari.

"Similiter". Quasi dicat: Spes ita nos adiuvat pre[d] patien-

---

[a] spe] specie
[b] est] *in margine*
[c] nos] *inter lineas*
[d] pre] *correctum ex* per

---

[218] Gal. 4,19: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.

[219] Cf. notam 214

[75*] Cf. Abaelard, *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 3 c. 8 (PL 178,905 D).

tia. Et "similiter et", id est etiam, "spiritus adiuvat infirmitatem nostram". Nisi enim Deus novam gratiam illis conferret, nullo modo sustinerent. Johannes enim, qui missus est in doleum ferventis olei, nisi Deus temperaret, quo-
113v modo posset sustinere, qui non permittit || suos temptari super id, quod possunt.[220]

"Nam". Vere adiuvat, quia etiam nos docet orare, ne in orando erremus. Sicuti Paulum, cui oranti, ut stimulus ille carnis discederet, dictum est: Sufficit tibi gratia mea.[221] Nam virtus in infirmitate perficitur. Et hoc est: "Nam" nos "nescimus, quid oremus, sicut oportet", id est sicut utile est nobis.

Queritur, an ille, qui dampnandus est, debeat orare, ut sibi peccata remittantur dicendo dominicam orationem.

Ad quod philosophus: Debet utique, inquit, orare et dominicam dicere orationem, nec peccat. Immo, si non dicit, peccat, quia omnibus, ut eam dicant, preceptum est a Domino, qui ait: Orantes dicite: Pater noster, qui es in celis.[222] In dicendo itaque non peccat, sed in eo, quod non est ita preparatus ad orandum, ut oporteret. Veluti, si aliquibus preceptum esset a Domino suo facere aliquid, omnes facere oporteret, et, si quis non faceret, precepti reus esset. Nec, si ita preparatus non[a] esset, ut id faceret, quemadmodum oporteret, in eo aliquam habere posset excusationem; imo ex eo ipso potius arguendus esset.

Sed "ipse spiritus postulat",[b] id est postulantes nos facit. Et non solum quid orandum sit, docet, sed etiam devotionem tantam intimat, que nullo modo potest disseri. Et hoc est "gemitibus inenarrabilibus", id est ineffabilibus, inexplicabilibus.

"Qui autem". Quasi dicat: Et que cura, si nostram devotionem, quam interius habemus, vel nostra desideria verbis explicare non possumus, cum Deus illa intelligat.

---

[a] non] *inter lineas*

[b] postulat] postulan

---

[220] 1 Cor. 10,13

[221] 2 Cor. 12,9

[222] Matth. 6,7,9.

Continuatio: Nos enarrare desideria nostra nescimus, sed tamen ille, qui probat corda et renes,[223] "scit", id est intelligit, "quid spiritus desideret", id est quid et quo modo[a] faciat nos desiderare. Et vere scit, "quia secundum Deum postulat", id est postulare nos facit, quod Deo placet, quod Deus vult, et hoc "pro sanctis", id est, ut sancti efficiamur. "Scimus autem". Quasi dicat: Non solum postulat pro nobis, sed etiam omnia, tam bona scilicet quam mala, in bonum nobis convertit. Et hoc est: "Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia", id est prospera et adversa.

"Vocati" tum per predicationem tum per internam inspirationem conferendo fidem. Et hoc per "propositum", id est per gratiam suam ante omnia merita.

"Nam". Diceret aliquis: Habuitne Deus de nobis propositum, antequam essemus?—Revera. "Nam quos prescivit", id est dignos sua notitia iudicavit. Tale est illud: Novit Dominus, qui sunt eius, id est sua notitia dignos iudicavit. Rursus nescio vos,[224] id est mea notitia non iudico dignos. Hos "et predestinavit", id est his gratiam suam in tempore tribuit, per quam prepararet eos, ut fierent "conformes filii", qui est imago Dei. Ita tamen, quod non sint ei equales, sed, "ut ipse" etc., id est,[b] ut ipse maiorem dignitatem more primogenitorum habeat et privilegium. "Hos et vocavit" per predicatorem vel per internam inspirationem. "Hos et iustificavit" prebendo dilectionem perseverantem. [76*]"Magnificavit" sublimando eos ad equalitatem angelorum.

Et nota eum ponere materiam sillogismi ponendo gradus istos misericordie.

---

[a] quid et quo modo] *inter lineas*
[b] id est] *inter lineas*

---

[223] Psalm. 7,10
[224] Matth. 25,12

[76*] Etiam Abaelardus, *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 3 c. 8 (PL 178,907 B): et denique magnificantur in celesti scilicet patria sublimati.

"Quid ergo". Quasi dicat: Post tot beneficia, que Deus nobis confert presciendo, predestinando, vocando, iustificando, magnificando, "quid dicemus", acsi aperte dicat: Securi possumus esse. Et vere securi, quia, "si Deus" etc., id est si illa suprema potestas pro nobis est, inferiores utique timende[a] non[b] sunt.

"Qui etiam". Quasi dicat: Et quod Deus pro nobis sit, non solum apparet per predicta dona, sed etiam per hoc singulare beneficium, quod pro nobis proprium tradidit filium. Et hoc est qui "non pepercit proprio filio etiam", quia ante illum plures filios adoptivos miserat sicuti Jeremiam et alios prophetas, ad predicandum populo, qui omnes interfecti sunt, et tandem multis filiis adoptivis missis et interfectis misit proprium filium dicens: Verebuntur filium meum.[225] "Pro nobis omnibus", id est ad nostram utilitatem. "Quomodo etiam". Quasi dicat: Postquam dedit pro nobis filium, de reliquis non est desperandum, quia, cum illud, quod maius est, donavit, eum, quod minus est, daturum non est dubitandum.

"Quis accusabit". Quia videlicet tot beneficia nobis contulit, "quis accusabit," id est, cuius accusatio valebit quicquam "adversus electos Dei"? Quasi dicat: nullius, quia nec Deus vult nec alius potest. Et quod Deus non velit, supponit dicens: "Deus, qui iustificat", quasi dicat: Non, quia non vult, cum ipse iustificet. "Quis est". Quia videlicet non est, qui accuset, "quis est, qui condepnet". Quasi dicat: nullus; quia Christus Jhesus, cui dedit Pater iudicium,[226c] cum alius non possit, non dapnabit, qui a dampnatione liberat. Et hoc est "qui mortuus", scilicet pro nostra liberatione. Et, quia parum videretur eum mori, nisi et ipse resurgeret, supponit: "immo qui", quasi dicat: Parum dico: qui mortuus est, imo qui resurrexit.

---

[a] timende] temende
[b] non] *inter lineas*
[c] cui iudicium] *inter lineas*

---

[225] Matth. 21,37
[226] Joh. 5,22

"Qui est ad dexteram Dei", id est sublimatus super omnem creaturam, quia et apud homines meliores vel, quos magis diligunt, sibi a dextris statuuntur.

"Qui etiam" cotidie Deum Patrem "interpellat pro nobis" per representationem humanitatis. Quasi dicat: Propter me, caput, membris meis parcere debes tamquam ponens personam pro persona, sicut in causis solet fieri. Cum enim in causa aliqua persona arguitur, sepe sollerter loco illius ponitur alia. Veluti si filius alicuius probi hominis arguetur, posset pater dicere: Iudices, nolite ad filium respicere, sed ad me patrem, cuius dignitati ne derogetis, obsecro, propter lecatorem filium. Sic et Moyses, cum Dominus diceret, quod illum populum dure cervicis de terra deleret, tamquam rem pro re ponens dicebat: Domine, non[a] ad istos istriones, sed ad patres eorum Abraham, Jacob, Ysaac respice,[b] ne dicant nationes: Callide de Egipto eduxit, ut in deserto illos occideret.[227] Sic autem Filius cotidie interpellat pro nobis, acsi dicat: Ad me, caput illorum, respice, non ad membra, ut pro capite membris parcatur.

"Quis ergo". Quasi dicat: Post collationem tot beneficiorum "quis separabit", id est que res poterit nos avellere a dilectione Dei? "Tribulatio", afflictio corporis; "angustia", anxietas anime; "persecutio", de loco ad locum; "fames", penuria cibi; "nuditas", penuria vestis; "periculum", timor mortis; "gladius", ipsa mors. Quasi dicat: Nichil. Et hoc apparet.[c] "Sicut scriptum est", quia "propter te mortificamur", id est mortalia pericula incurrimus "tota die". Non dicit: tempore, sed: die, quia vita iusti dies dicitur, cum vita malorum nocti comparetur, que tota in tenebris est.

"Oves occisionis", id est digne occisione, que etiam sunt animalia innocentia, que videlicet se defendere nequeunt. Et hec duo populus improperabat sanctis dicens: Istos leca-

---

[a] non] *inter lineas*
[b] respice] *inter lineas*
[c] apparet] *inter lineas*

---

[227] Exod. 14,11

tores quid permittimus regnare,[a] quibus dignus non est mundus et qui nullam defensionem habent?
"Sed in his". Mortificamur, dico, "sed in his omnibus superamus", id est vincimus etiam moriendo et hoc non per nos, sed[b] "propter eum, qui dilexit nos. Certus enim". Vere non separabit nos aliquid a caritate Dei, quia "certus sum", quia "neque mors", id est timor mortis, "neque vita", id est vite promissio, "neque angeli", scilicet mali vel etiam boni, si vellent. Et est angelus nomen ordinis cuiusdam, cum tamen omnes indifferenter vocemus angelos. [77*]Et dicuntur angeli nuntii Dei, qui nobis aliquid annuntiare mittuntur a Deo iuxta illud: Qui facit angelos suos spiritus,[228] id est Spiritus Sanctus spiritales substantias facit suos angelos id est nuntios. Sed angeli appellantur, qui ad minora mittuntur, veluti cum Deus angelos ad Abraham mitteret; archangeli vero, qui ad maiora, veluti Gabriel ad virginem; principatus vero altiores dicuntur, qui aliis principari habent; virtutes iterum eminentiores, qui, ut beatus Gregorius[229] dicit, frequentius miracula faciunt. Et cum ita ordines eorum sint dispositi et per unum angelum alii Deus voluntatem suam intimet, Deus tamen ipse ad omnia sufficeret, sed, ut idem Gregorius[230] astruit, non decet tantum regem omnia, que administranda sunt, ipsum in domo sua[c] administrare, sicut nec quemlibet regem, cui quamvis gladius sit commissus, non tamen decet nec etiam debet alio presente manus suas in sanguine polluere. Quemadmodum etiam de episcopo, quem non baptizare decet, qui etiam, si presente presbitero baptizat, presbitero infert in-

---

[a] regnare] *inter lineas supra* vivere
[b] non per nos, sed] *inter lineas*
[c] in domo sua] *inter lineas*

---

[228] Psalm. 103,4
[229] Gregorius, *Homiliarum in evangelia* lib. 2, Hom. 24 n. 10 (PL 46,1251).
[230] Cf. Gregorius M. *Homiliarum in evangelia* lib. 2, Hom. 38 n. 5 (PL 76,1285).

[77*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 3 c. 8 (PL 178, 909 C).

iuriam. Ad minores enim personas minora pertinent officia; ad maiores eminentiora ut predicatio. Unde apostolus: Non misit me baptizare, sed ewangelizare.[231] Et hoc est "neque angeli" etc., quasi dicat: nec minor ordo nec mediocris nec eminentior.

"Instantia", id est presentia, bona videlicet vel mala. "Futura", sumunt bona vel mala. "Fortitudo", violentia aliqua. "Altitudo", humane dignitatis sublimatio. "Profundum", depressio quantacumque. "Alia", ab ipsis videlicet angelis. "Que est in Christo", id est quam habemus per Jhesum Christum.

---

[231] 1 Cor. 1,17

[CAP. 9.]

"Veritatem". Bene dixi, quod nos, qui maiores sumus, non avellet aliquid ab amore Christi, quia ego ipse id expertus sum per quosdam pannosos christianos, quos occidere poteram, sed nullo modo a dilectione Dei avellere, cum ego videlicet Christum et membra illius zelo legis meę persequerer. Iste enim intantum Christum et membra eius habebat odio, quod a sacerdotibus epistolas petiit, ut, quoscumque viros huius vie inveniret, vinctos perduceret Jerhusalem.[232] Et in illa persecutione quosdam invenit pauperes christianos et pannosos, quos nullatenus ab amore Christi avellere potuit.

Continuatio: Quod de nobis dixi, qui eminentiores sumus, id propria experientia didici per quosdam pannosos christianos. Et super hoc "veritatem dico", quod pro sacramento dicit. Et quia, ut beatus Augustinus[233] dicit, potest scilicet[a] veritatem dicere, sed reatum mendacii incurrere, ideo additur: "non mentior", id est reatum mendacii non incurro. Veluti si aliquis ab[b] alio, qui de societate latronum esset,
114r quereret, an ibi latrones essent, || et diceret causa fallendi, quoniam non sunt ibi, posset verum dicere, quia fortasse iam inde recessissent latrones et reatum tamen mendacii incurreret. Et hoc est "conscientia mea perhibente testimonium", id est reddente michi. Conscientia, dico, fundata "in Spiritu Sancto", qui fallere nescit.

Et unde sit illud testimonium, supponit, quia "tristitia" de prioribus factis, cum Christum persequerer, "magna", ad quantitatem; "continuus", perseverans. "Optabam enim", quasi diceret: Tristitia michi magna est, et inde, quia non solum volebam separatus esse a Christo, sed etiam separatio aliorum. Et hoc est "optabam anathema pro fratribus", id

---

[a] scilicet] *inter lineas*
[b] ab] *inter lineas*

---

[232] Act. 9,2
[233] Augustinus, *Enchiridion* lib. 1 c. 18 (PL 40,240).

est, ut separarem fratres meos a Christo. Et de quibus fratribus dicat, docet dicens: "qui sunt cognati". Et ne intelligeretur tantum hoc dicere de tribu Beniamin, de qua erat, supponit: "qui sunt Israelite", id est de genere Jacob, qui primus dictus est Israel, a quo et ipsi Israelite.

"Quorum adoptio". Quasi dicat: Sed quid mirum, si ego zelo legis mee et gentis pugnabam pro illis, qui videbam Deum hunc populum assumpsisse et elegisse in populum peculiarem quasi aliis omnibus neglectis et hec et illa contulisse beneficia. Et ideo non credebam, quod Deus aliis gratiam suam daret et istos reprobaret, quin eos, sicuti in temporalibus, sic etiam in spiritalibus sublimaret. Si quis enim christianus vederet aliquem cassare baptismum, illum utique, quantum posset, et eius sequaces destrueret. Sic et iste causa legis defendende et gentis, quantum poterat, Christum persequebatur inductus tot beneficiis, que Deus illi populo contulit. Et hoc est "quorum adoptio", id est qui ita sunt a Deo assumpti et electi, tamquam eos in filios adoptaret. "Et" quorum est "gloria", id est gloriatio, qui videlicet soli de lege data gloriari poterant. "Et" quorum "testamentum", unde et illa gloria.

Et quia possent habere testamentum, ita quod ad eos tamen latum non esset, sicut Tolomeus habuit per LXXta interpretes, ideo supponit: et "legislatio", quasi dicat: quorum ita erat testamentum, quod ad eos specialiter latum est.

"Obsequium", id est cultus Dei talis, qualis non erat apud nationes in canticis canticorum.

"Promissa", vel de ęt❬ernis vel de temporalibus. "Quorum patres", id est patriarche, et "ex quibus" etiam ipse "Christus est secundum carnem", id est natus est, per quem salus mundi, quem tamen primum pro tam magno non habebam.

"Qui est benedictus" etc., id est qui est laudatus, exaltatus per omnes temporum successiones. "Amen", id est fiat vel verum est.

Ex eo autem, quod dixit apostolus, quia quos prescivit, hos predestinavit, vocavit, iustificavit, magnificavit,[234] ingerit se

[234] Rom. 8,29 sq.

quedam questio de prescientia Dei, quod videlicet omnia eveniunt ex necessitate, cum prescientia Dei falli nequeat, nec aliqua eveniunt, que Deus non presciat.

[78*]Sed primum de prescientia, predestinatione, de fato etiam pauca dicemus. Est autem prescientia idem, quod providentia, que tantum de futuris est tam de bonis quam de malis. Licet enim Deus mala non faciat, tamen ea prescit et de eis bene disponit. Predestinatio vero, ut beatus Augustinus[235] dicit,[a] est gratie preparatio, quando videlicet Deus gratiam suam alicui impertit, per quam preparat eum dignum vita ęterna. Et si quis dicet predestinationem esse illam Dei donorum temporalem collationem, a prescientia eam separabit. Si quis vero ęternam Dei dispositionem destinandi gratiam suam electis predestinationem appellabit, predestinatio pars erit prescientie.

[79*]Fatum vero est, ut Boetius[236] dicere videtur, quoddam adherens rebus ex eo videlicet, quod a Deo sunt provise. Et quanta differentia est inter providere, quod Deo convenit, et provideri, quod rebus inest, tanta est inter providentiam et fatum. Sed, cum prescientia sit pars scientie, scientia autem sit de presentibus, prescientia de futuris, de quibus tamen rebus est prescientia, de eisdem est scientia. Cum enim Deus hanc prescientiam habeat de die iudicii, quoniam erit, de eodem hanc scientiam habet, quoniam continget, quod iam in re est. Iam enim verum est diem iudicii esse futuram. Sic et de die preterita hanc scientiam habet, quoniam fuit, quod iam verum est. Scientia enim est comprehensio veritatis rerum, que sunt.

---

[a] dicit] *in margine*

---

[235] Augustinus, *Liber de praedestinatione sanctorum* c. 10 n. 19 (PL 44,974).

[236] *De consolatione philosophiae* lib. 4 prosa 6 (PL 63,814 sq.).

[78*] Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 1 c. 3 (PL 178, 824 B), lib. 3 c. 8 (PL 178,907 D sqq.); *Theologia* lib. 3 c. 7 (PL 178, 1109 A sqq., 1111 B sqq.); *Sent. Herm.* c. 21 (PL 178, 1728 B sqq.); *Sent. Flor.* 11 sq.; *Sent. Rol.* 64 sqq., 69 sqq.

[79*] Cf. *Sent. Flor.*, 12; *Sent. Herm.*, c. 21 (PL 178,1729 A sq., ubi etiam Boethius nominatur).

His itaque breviter percursis ad predictam questionem veniamus, quod videlicet omnia, quoniam Deus in prescientia sua falli non potest, ex necessitate contingunt, et sic perit liberum arbitrium, consilia et negotia,[a] cum videlicet, postquam Deus providet, necesse sit omnia[b] evenire.

[80*]Huius autem questionis solutionem philosophi et precipue Aristoteles[237] posuit, qui primus, ut credo, hanc litem terminavit. Dicit enim, quod omne, quod est, dum est vel cum est vel quando est vel postquam est, necesse est esse, non tamen simpliciter necesse est esse. Sic et omne, quod non est, dum non est, necesse est non esse, non tamen absolute necesse est non esse. Eodem autem modo diligentibus ingeniis, quibus virtus sermonis cognita est, de providentia satis liquidum esse existimo. Cum enim aliquid, postquam Deus providet, necesse sit evenire, id est, cum impossibile sit, quod Deus aliquid provideat et illud non eveniat, non tamen illud evenire necesse est. Socratem enim[c] cras esse sessurum, postquam provisum est, cum sit necesse, non absolute tamen necesse est eum cras esse sessurum, quamvis impossibile sit, cum sit provisum, eum minime sessurum esse. Sic etiam de predestinato dicitur. Eum enim, postquam predestinatus est, necesse est salvari; non tamen simpliciter salvari necesse est. Sicut etiam de curtato verum est. Quippe illum, postquam curtatus est, impossibile est pedes habere; non tamen est impossibile, immo possibile; non tamen eum, postquam curtatus est, pedes habere est possibile, quod esset pedes recuperare, quod est impossibile. Rursus, Boetium,[238] quod utinam a se haberet, de providentia bene dixisse sub persona philosophie invenimus. Dicit enim, quod non magis providentia Dei rebus infert necessi-

---

[a] et si perit—negotia] *inter lineas et in margine*
[b] omnia] *inter lineas*
[c] enim] *inter lineas*

---

[237] *Perihermenias* lib. 1 (Boethius, *In librum de interpretatione, editio prima* (PL 64,338 C); *In librum de interpretatione editio secunda* (PL 64,513 D).
[238] *De consolatione philosophiae* lib. 5 prosa 4 (PL 63,847 sqq).

[80*] Cf. Abaelard., *Theologia* lib. 3 c. 7 (PL 178 1112 C sq.; 1114 A).

tatem quam prescientia cuiuslibet hominis. Cum enim video Socratem ambulare, visus meus non infert ambulationi illius necessitatem, nec visus meus causa est ambulationis eius. Non enim, quia video eum ambulare, ideo ambulat, sed, quia ambulat, video eum ambulare. Et cum non sit eum ambulare necesse, eum tamen, cum ambulare video, necesse est ambulare.

Idem autem est de providentia Dei, ut supraposita monstrant exempla. Unde non pereunt consilia nostra vel negotia.

Et cum Deus aliquem salvandum esse provideat, non tamen ita providet, ut quicquid ille fecerit, eum salvet; sed etiam ea, per que salvandus est, prescit. Sicut enim Martinum [81*]providit salvandum esse, sic etiam ea, per que salvaretur, prescivit, quasi apud se preordinaret dicens: Salvabo Martinum et per hec opera. Non enim Deus solum res eventuras, sed etiam modum, quo evenient, previdet. Et sicut res, postquam Deus providet, necesse est evenire, nec tamen necesse est, sic et eo modo, quo evenient, postquam eo modo provise sunt, evenire necesse est, nec tamen eo modo simpliciter necesse est contingere.

[82*]Obicitur autem, quia possibile est Deum falli per hanc regulam, que, ubi antecedens possibile est, astruit et consequens possibile esse. Antecedens autem est: res eveniunt aliter quam Deus providet, ad: Deus fallitur. Quippe, si res eveniunt aliter quam Deus providet, Deus fallitur. Sed hoc est possibile: quare et illud.

Ad quod philosophus: Si possibile, inquit, ad partem propositionis applicatur, verum est, nec inde provenit, quod Deus fallatur. Si vero ad totam propositionem, falsum est. Ex quo tamen concesso secundum predictam regulam proveniret Deum falli.

"Non autem". Quia dixerat illorum esse testamenta et legislationem, obsequium et promissa, diceret aliquis: Sed hec

[81*] Cf. Sent. Flor. 12.
[82*] Cf. Abaelard., *Theologia* lib. 3 c. 7 (PL 178,1112 A).

promissa illi populo quid proficiunt, cum efficaciam non habeant, quoniam est a Deo reprobatus.
Ad quod dicit, quia videlicet in singulis personis, licet verbum Dei completum non sit, non est tamen evacuatum in illo populo, in quo, etsi non in omnibus, in quibusdam tamen efficaciam habet.
Idem dictum est superius, cum ait: Quid ergo amplius video?—Multum quidem per omnem modum. Quid enim, si quidam illorum non crediderunt. Sic et hoc loco, quia quamvis in singulis personis non sit completum, non tamen excidit verbum Dei. Et hoc est: non "excidit verbum", id est non est evacuatum, in illo videlicet populo, licet in singulis efficax non sit.
"Non enim". Quasi dicat: Vere non excidit, quia, etsi non omnes sint filii Dei, quidam tamen. Et hoc est, quia non omnes, "qui ex Israel", id est qui sunt ex semine Jacob, qui binomius erat, quoniam et Israel et Jacob apellatus est, "hi sunt Israelite", id est imitantur fidem Israel, scilicet Jacob. "Qui semen" sunt, scilicet Abrahe. "Filii Abrahe", id est imitantur eum in fide.
"Sed in Ysaac vocabitur". Quasi dicat: Sed qui imitantur Ysaac, hi sunt filii Abrahe. Quod equipollenter dicit ut breviloquus a Genesi[239] hoc inducens testimonium. Cum enim Agar contra Saram intumescere ceperit et superbire, quia primogenitum habebat filium, et Ismael Ysaac opprimere, precepit Sara, ut cum filio expelleretur. Quod, cum Abraham moleste tulisset, dictum est ei a Domino: Fac, quicquid Sara precipit. Non enim in Ismaele, sed in Ysaac vocabitur || tibi semen. Quasi dicat: Non qui post carnem 114v
trahuntur sicuti Ismael, qui secundum carnem natus est, sed qui te in fide imitantur sicut Ysaac, qui contra carnis naturam natus est secundum spiritum, hi tibi in filios reputabuntur. Quod apostolus exponit dicens: "id est non qui filii carnis" sicuti Ismael. "Filii Dei". Non dicit: filii Abrahe, sed mutat vocabulum dicens: filii Dei, quia, ut dictum est, non intelligit filios Abrahe, nisi qui eum in fide imitantur, qui utique sunt filii Dei.

[239] Gen. 21,12

Sed "qui filii promissionis", id est qui Abraham in fide imitantur sicut Ysaac, qui est filius promissionis, qui videlicet contra carnis naturam natus est per promissionem Dei.

"Promissionis enim". Diceret aliquis: Estne de Ysaac promissio facta?—Revera, quia hec. Et hoc est, quia "promissionis" etc.

"Secundum hoc tempus", id est in tali tempore anno revoluto "veniam." Verba sunt angeli. "Et erit Sare filius". Dubium est, utrum de conceptu vel de natu dictum sit. "Non solum autem illa", scilicet Sara, habuit, subaudis, promissionem, sed "etiam Rebecca habens ex uno concubitu", duos videlicet filios. Promissionem, subaudis iterum: habuit, quia constructio defectiva est.

Et nota, quod, cum prius de Jacob induxerit dicens: "Non enim omnes, qui ex Israel," ad illum rursus vult modo venire.

"Cum enim". Vere promissionem habuit, quia hanc, non quod filios haberet, sed, quod maior minori serviret.[240] Et hoc est, quia "dictum est illi", scilicet Rebecce, "quia maior serviet minori", et hoc "non ex operibus", id est meritis eorum, "sed ex vocante", id est sola Dei dispositione. Quod ostendit ex eo, quod[a] premittit dicens: "cum nondum nati", quasi dicat: vere non ex operibus,[b] quia hoc dictum est illi, "cum nondum nati fuissent". Et quia in utero cognitionem Dei habere possent, ut sic aliquid mererentur, sicut Johannes vel Jeremias, qui ex utero sanctificati sunt, ideo supponit: aut "aliquid mali aut boni egissent, ut" videlicet "propositum", id est illud, quod Deus de utroque proposuit, "maneret" non secundum merita, sed "secundum electionem", id est voluntatem, que hunc elegit, illum reprobavit nullo merito preveniente. In quo Deus naturalem ordinem non servavit, quia apud homines maior dignitas primogenitis exhibetur.

---

[a] quod] *inter lineas*
[b] operibus] peribus

---

[240] Gen. 25,23

Quod autem dicit, quia maior servit minori, de personis illis non est intelligendum, quia legimus Jacob plus servire Esau et timere, qui ait: Domine, libera me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo[241], eo videlicet, quod illum his supplantaverat in primogenitis, que ei emit, et in benedictione, quam per dolum abstulit. Unde dictum est: Venit frater meus fraudulenter.[242] Et propterea eum timebat. Unde in adventu illius multa munera disposuit ei dare. Sed ille veniens non curavit de muneribus, immo ut homo gentilis et magnanimus fratrem suum osculatus est eorum, que sibi fecerat, non recordans. Et quia ita Jacob potius fuit in subiectione Esau, de ipsis non debet intelligi, sed de duobus populis, qui ab illis descenderunt, sicut plene habetur in Genesi. Sed apostolus more suo ut breviloquus quiddam inde excerpsit ad memoriam illius loci.[a] Rebecca enim, cum illos in utero haberet et illi luctari inter se cepissent, de illa lucta, quia ipsa inde graviter patiebatur, Dominum consuluit. Et dictum est ei: Duo populi de utero tuo exibunt et maior serviet minori.[243] Populus ille, qui de maiore fratre venturus est, serviet populo, qui nascetur de minore. Et sic postmodum contigit. Illi enim, qui de Jacob nati sunt, quamvis de propria progenie liceret eis servos habere et emere eos, tamen in perpetua servitute non habebant, quia in septimo anno a servitute exiebant. Alienigene vero, id est gentiles, qui de Essau venerunt, quos emebant, perpetuo eis serviebant[b] et ipsi et ipsorum filii. Mortuis enim patribus illi iure hereditario transmittebantur in filios.

Attende, quod, cum Jacob in fraude ad patrem accederet, benedictione tamen non est frustratus. A Deo totum factum est[c] propter reverentiam patribus exhibendam, ut, cum in eo, qui per dolum veniebat, non fuerint cassa patris verba,

[a] sicut plene—loci] *inter lineas et in margine*
[b] serviebant] servebant
[c] est] esse

[241] Gen. 32,11: Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo.
[242] Gen. 27,35: Venit germanus tuus fraudulenter.
[243] Gen. 25,23

insinuaret, quod in illo, qui cum devotione accederet, nullo modo carerent efficacia.

"Sicut scriptum". Bene dixi, ut propositum Dei secundum electionem maneret.

"Sicut scriptum" per Malachiam prophetam. "Jacob dilexi", id est ad vitam disposui, "Esau autem odio habui", id est eum proposui ad mortem, nullo videlicet merito preeunte.

"Quid ergo". Quasi dicat: Quia Deus huic gratiam suam confert et illi subtrahit, id est non confert, cum ille tamen non mereatur, ergo "quid dicemus", id est contra hanc questionem quid poterimus dicere, quam inde aliquis faciet nobis, qui Deum de iniquitate arguet dicens: "Numquid iniquitas apud Deum", qui videlicet, cum uni gratiam suam conferat, alii subtrahit nullo merito illius preeunte, quare eam ei subtrahat. Et verba opponentis sunt usque ad illum locum: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?[244] Et procedit ex auctoritatibus, ut Deum de iniquitate arguat. Unam inducit per simile, ut videlicet, quemadmodum ostenditur esse misericors, quia[a] huic gratiam suam confert, qui nichil meruit, sic etiam iniquus esse monstretur, qui illi subtrahit, in quo nullum preivit meritum, ut ei subtraheretur, imo, ut dictum est, cum neuter aut boni aut mali aliquid egerit. Et hanc habetis ibi: Moysi enim dicit: Miserebor etc.[245] Aliam iterum ponit, per quam idem monstrat, Deum videlicet de iniquitate[b] arguendum esse, qui gratiam suam subtrahit, imo etiam in malitiam hominem impellit. Et hanc ibi ponit. Scriptura enim dicit Pharaoni: Quia in hoc ipsum te excitavi.[246]

[83*]Rationibus etiam idem monstrare posset. Sicut enim,

---

[a] ostenditur—quia] *inter lineas*
[b] iniquitate] iniquitatem

---

[244] Rom. 9,20.
[245] Exod. 33,19
[246] Exod. 9,16

[83*] Abaelard., Expositio in ep. Pauli ad Rom. lib. 4 c. 9 (PL 178, 917 D sq.); *Sent. Herm.* c. 34 (PL 178,1755 sq.); *Sententiae Parisienses* in fine—A. Landgraf, *Ecrits théologiques de l'Ecole d'Abélard,* Louvain (1934), 60.

si medicus ad egrotum cum potione veniens eum ad potionem suscipiendam nollet erigere, cum posset, cum egrotus nullo modo posset surgere, medicus utique de nequitia arguendus esset, sic et Deus in culpam videtur posse trahi, qui istum ad mortem proposuit, in quo nichil precessit, ut illum ad mortem disponeret. Et hoc est: "Numquid iniquitas apud Deum?"

Apostolus: "Absit".

"Moysi enim". Opponens: Vere iniquitas, quia sicut ex misericordia commendatur, sic et ex iniquitate potest argui. Quemadmodum habet hec auctoritas, quia "Moysi dicit": "cui misertus ero" predestinando, "miserebor", in tempore videlicet gratiam meam[a] conferendo. Et "cui miserebor", in temporali scilicet gratie collatione, "prestabo misericordiam", dando scilicet vitam ęternam.

Et nota gradus istos miserationis, quorum primus est in predestinatione; secundus, cum Deus illi, quem predestinavit, gratiam suam temporaliter confert, ut eum iustificet; tertius, cum ille ęterne beatitudinis recipit bravium.

"Igitur non volentis", quasi dicat, quia ex voluntate Dei et misericordia totum hoc est, "igitur non est" hominis "volentis", id est, ut veniatur ad illud bravium, nichil operatur voluntas hominis, etiamsi ad hoc nitatur. Et hoc est "neque currentis", id est nitentis, quantum potest, sed "miserentis Dei", id est sola Dei miseratio. Ista illatio est omnino[b] falsa et sophistica, que merita hominis penitus evacuat.

"Dicit enim". Posita auctoritate, que docuit Deum, cui miserebitur, misereri, qua per simile arguendum esse Deum monstravit, aliam ponit, que docet Deum, cui vult, gratiam suam subtrahere, qua idem monstrare intendit.

Continuatio: Non solum gratiam suam conferet, sed etiam, cui vult, subtrahit, quia "scriptura dicit Pharaoni", id est testatur Deum dicere, quia videlicet "in hoc ipsum excitavi te", id est obstinatum te feci contra populum meum et in-

---

[a] meam] *inter lineas*
[b] omnino] *in margine*

duratum, "ut ostendam in[a] te virtutem", sicuti in mari rubro, ubi eum submersit cum toto exercitu illius.

Et nota, quod fortasse istud *ut* non notat causam, sed consecutionem, acsi dicatur: Excitavi te et hoc consequetur. Opponens tamen, ut magis aggravet, causaliter accipit.

"Nomen meum", id est notitia mea. "Ergo cui vult". A predictis auctoritatibus infert sic, quia videlicet hec auctoritas astruit de miseratione, illa de induratione.

Ergo, "cui vult, miseretur", id est gratiam suam confert. Et. "quem vult, indurat", id est gratiam suam subtrahit.

Attende usum huius locutionis, quam ponit: cui vult vel quem vult, quasi Deus nullam vel in miserendo vel in obdurando rationem attenderet, sed solam voluntatem. Sic enim de quolibet homine dicimus, qui in eo, quod facit, potius voluntatem quam rationem considerat, inquientes: homo iste facit, quod vult; vel: Domine, nos bene videmus, quia vos hoc vultis, iuxta illud: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.[247] Hinc et beatus Jeronimus super Danielem, ubi dicit Nabucodonosor, quia Deus, quecumque vult, operatur: Hic, inquit, Nabuchodonosor locutus est ut homo secularis. Non enim, quecumque vult, facit, sed, quod vult bonum, id operatur.[248] Quasi dicat: In omni eo, quod facit, rationem attendit.[248a] Et ideo rursus hec conclusio
115r falsa est, || que, ut dictum est, ita Deum vel misereri vel indurare monstrat, tamquam rationem non imitetur, sed voluntatem.

"Dicis itaque". Verba apostoli ad oponentem, quasi dicat: Quia, quemadmodum asseris, Deus, cui vult, miseretur et, quem vult, indurat, "igitur dicis michi", scilicet Deus, "quid", id est quare "adhuc queritur", id est de nobis queri-

---

[a] in] *inter lineas*

---

[247] Juvenal, *saturarum libri* 5. Lib. 2 sat. 6 v. 223 (ed. Ludwig Friedländer I, Leipzig (1895), 308). Cf. Abaelard., *Theologia* lib. 3 c. 5 (PL 178,1095).

[248] Hieronymus, *Commentariorum in Danielem liber*, c. 5 (PL 25, 517 sq.). Cf. Abaelard., *Theologia christiana* lib. 5 (PL 178,1327).

[248a] Cf. Abaelard., *Theologia christiana* lib. 5 (PL 178,1327).

moniam facit vocans nos tales et tales, quoniam ei non servimus, cum totum tamen in voluntate eius positum sit, nec nos, etiamsi nitamur, aliquid ex nobis subtracta gratia possimus facere.

"Voluntati enim". Bene quesivi, quare de nobis querimoniam faciat, cum totum ex voluntate illius pendeat, quia "voluntati", id est dispositioni, "quis resistit". Quasi dicat: Nemo, quia, sive hoc sive illud de nobis disposuerit, contra illius voluntatem ire non poterimus. Et ideo de nobis iniuste conqueritur.

"O homo". Hucusque fuerunt verba opponentis et Deum in culpam trahentis, quia videlicet, sicut gratie eius ascribendum est, quod huic gratiam suam confert, sic culpe illius ascribendum est, quod illi subtrahit, in quo nichil preivit meriti, ut ei subtraheret, sicut nec in illo, ut illi conferret.

[84*]Nunc autem apostolus per quandam similitudinem congruam Deum a culpa extrahit, quod videlicet in culpam trahendus non est, quod, cum istum ad gloriam creet, illum ad penam creat[a] et laborem. Veluti figulum nemo in culpam trahit, qui quedam vasa facit ad honorem, quedam ad contumeliam, id est quedam talia preparat, quibus pigmenta regibus et potestatibus propinantur, quedam talia, quibus opus est in coquinis ad viliora officia. Nec tamen vas habet, unde de suo opifice querimoniam faciat, nec opifex vasi iniuriam infert, qui vasi nichil debet, quod ipsum videlicet tale fecerit, cum eque in potestate illius[b] fuerit vel hoc vel illud fecisse. Sic et Deus culpandus non est, qui uni gratiam suam dat, alii non dat, nec ille, cui non dat, potest iuste conqueri, cum illi nichil debeat. Veluti si aliquis alicui equum daret et alii non daret, si ille, cui non daret, querimoniam faceret, nonne posset dicere: Frater, non facio tibi iniuriam, cum nichil tibi debeo, sed oculus tuus nequam est; ego autem bonus in illo. Ita et Deus, qui nobis nichil

[a] creat] *inter lineas*
[b] illius] *inter lineas*

[84*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 9 (PL 178, 916 C. sq.).

debet, in cuius potestate eque est hoc et illud facere, ab omni culpa alienus est. Si etiam homines ad laborem crearet sicut asinos, vel ęternis penis deputaret vel dissolubiles animas eis daret nec aliam vitam quam istam sicut nec brutis animalibus, nec aliud premium quam ventris furraginem, non posset homo conqueri, cum Deus sine omni culpa poterit eo modo, quo voluerit, suas tractare creaturas. Ad hanc itaque similitudinem apostolus Deum a culpa liberat et adimit, sed eius benignitatem minime commendat, que tamen in hoc ipso precipue commendatur, quia, cum huic gratiam suam subtrahat, communem operatur utilitatem, cuius malitia melius usurus est quam eius bonitate.[85*] Quippe iniquitate Jude melius est usus, in qua omnium salutem operatus est, quam bono etiam Petri vel Pauli. Et quamvis illi bonum non sit, tamen bonum est, cum ad commune spectet commodum. Nemo enim sibi vivere debet, nec pro minori commodo Deo convenit maiori preiudicare. Non est enim summe benignitatis, que vult omnia eo modo provenire, quo melius potest, propter minora videlicet bona potioribus derogare. Deus etiam sue glorificationi hoc debet, ut ita singula faciat, ut singula eius laudem predicent. Veluti in submersione Pharaonis cum omni eius exercitu factum est, que illam potestatem maximam predicavit, que videlicet ita undas separavit ab invicem, que ita eas tam labilem et fluidam creaturam murum a dextris et a sinistris diu tenuit, ut populus pertransiret, que tandem reverse clauserunt inimicos. Unde postmodum dictum est: Magnus est Deus Hebreorum.[249] Et iterum: Fugiamus Israelem, quia Dominus pugnat pro illis.[250]

Rursus, si quis posset attendere, quanta proportione omnia sunt coniuncta, ut beatus Augustinus[251] dicit super illum

---

[249] Cf. Daniel 14,40
[250] Cf. Judith 5,16
[251] Cf. Augustinus, *De Genesi contra Manichaeos* lib. 1 c. 21 (PL 34,188 sq.).

[85*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 9 (PL 178, 917 A sq.).

locum: Et vidit Deus cuncta, que fecerat, quoniam erant valde bona,[252] id est convenienter et proportionaliter ordinata: non inveniret in tam pulcra ordinatione, quod optime non conveniret. [86*]Mala enim, etsi bona non sint, tamen mala esse bonum est, que bonis competenter sunt coniuncta, quemadmodum venena serpentium, ex quibus etiam ipsa bona commendantur, sicut et[a] ex minus bonis magis bona, et pulcriorem reddunt ordinationem, quam, si omnia bona vel optima essent. Quod beatus Augustinus[253] in coloribus ostendit. Bonus enim color ex minus bono pulcrior apparet et minus bonus iuxta magis bonum positus ornatiorem picturam efficit, quam si tota ex optimis fieret coloribus. Et ita omnia ad commendationem Dei fiunt, qui, ut idem asserit Augustinus,[254] adeo bonus, quod in mundo mala esse non sineret, nisi ea posset optimo effectu terminare.

Deo itaque a culpa extracto, qui, cui vult, gratiam suam subtrahit, et in hoc etiam bonitate eius commendata, gravis se infert questio, quod videlicet homines iniuste puniuntur, cum ipsi in culpa non sint nec in eis remaneat, qui subtracta gratia ex se nichil possunt, quantumcumque conentur. Veluti carpentarii, qui instrumenta non habent, si domum non fecerint, cum in eis non remaneat, non sunt puniendi a domino, qui eis instrumenta invenire debuit, ut facerent. Imo potius, si qua fuerit culpa, in dominum redundat, cuius est instrumenta invenire. Sic et homines puniendi non videntur, quibus subtrahitur gratia, que eos ad bona opera trahat, qua subtracta fiunt immobiles. Veluti quadriga ex se moveri non potest, nisi iungantur boves, quibus trahatur. Et cum Deus eos ad ęternum bravium invitet, quibus gratiam suam subtrahit, ut ad illud attingant, non est in culpa illorum, si

---

[a] et] *inter lineas*

---

[252] Gen. 1,31.
[253] De vera religione, c. 40 n. 76 (PL. 34,156).
[254] Augustinus, *Enchiridion* c. 11 (PL 40,236).

[86*] Cf. Abaelard., *Dialogus inter philosophum, iudaeum et christianum* (PL 178,1673 C, 1677 B).

non attigerint. [87*]Veluti, si aliquis bonos cibos haberet et turrem altam ascenderet et remotis scalis vel clausis hostiis diceret viatoribus: Venite, venite, o homines, dabo vobis bonos anseres et carnes ad edendum, Illi autem venientes nec habentes, unde ascenderent, de contemptu convivii non essent postmodum arguendi.

[88*]Ad solutionem autem huius questionis alius proponendus est figulus. Sit enim quidam dives, qui duobus ciffum argenteum exponat et ciffum laudet et pretium illius non taceat, quem tandem dicat se illi daturum, qui pro illo Jerosolimam proficiscetur. Uterque autem, cum id audierit et ęque a divite ammonitus fuerit et incitatus, alter tamen et fortasse ditior et minus fortis viam arripiet, laborem suscipiet, Jerosolimam ibit; alius vero, qui et fortior et pauperior erit, non volet viam aggredi, sed sola pigritia remanebit, a tota vicinia, eo, quod melius ire potuit vel eque, cum ille redierit, arguendus, cum et ipse tamen ęque ciffum concupierit. Sic et Deus per ostensionem et descriptionem mansionis non manufacte, bravii videlicet ęterne beatitudinis nos incitat, quibus iam dedit rationem et fidem, que nos ad dilectionem promoveant. Sed alius suscepto labore ad bravium illud pertingit, alius vero in sua desidia remanet nec tantum vult laborem suscipere, cum et ipse tamen eque incitetur vel ęque possit vel etiam melius quam ille. Sed soli ignavie satisfaciens non vult viam arripere.

Sed inquiunt quidam, quod inter fidem et dilectionem necessaria est quedam nova gratia, que videlicet ipsum velle in nobis efficiat, ut ad illud scilicet bravium velimus tendere, que, quo nomine appelletur, omnino ignorant.

[89*]Quod utique philosophus non recipit. Sed, sicut, inquit, ostensio ciffi huic voluntatem inmittit, illi vero minime, ita

---

[87*] Cf. Robert. de Meleduno, Questiones de epistolis Pauli (Cod. Paris. Nat. lat. 1977 fol. 108).—A. Landgraf, "Die Erkenntnis der helfenden Gnade in der Frühscholastik," *Zeitschrift für katholische Theologie* (Innsbruck) 55 (1931): 227.

[88*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 9 (PL 178, 917 D sqq.).

[89*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 9 (PL 178, 917 D sqq.).

et descriptio summi boni sine collatione nove gratie[a] istum ad se trahit, illum vero nequaquam capit.

Littera sic exponatur, quasi dicat: Tu Deum in culpam trahis, quia, cum huic gratiam suam conferat, illi subtrahit, sed ipse itaque in culpa non est, qui nichil alicui debet. Quod ego per hanc similitudinem monstro, quia, "o homo", id est carnalis, || qui non capis ea, que ad Deum pertinent. 115v
"Tu es, qui respondeas Deo", id est, quomodo ad hanc questionem poteris respondere, quam Deus faciet tibi vel alius. Scilicet "numquid dicit" etc., id est numquid potest rationabiliter aliquod figmentum figulum suum accusare, quia ipsum tale vel tale fecit dicens: "quid me sic fecisti", id est, quare me tale finxisti?, acsi aperte dicat: Non potest, quia nonne "figulus habet potestatem ex eadem massa aliud in honorem", id est ad honorabile officium?" "In contumeliam", id est ad contumeliosum.

Nota, quod per hoc, quod dicit: figulus luti, monstrat, quod vas potius suum figulum posset arguere, a quo non habet nisi formam, quia figulus non creat lutum vel limum, ex quo vasa facit, sed limo formam apponit. Unde dicitur vasa fingere et non creare. Deus vero sua opera creare dicitur, quia et ipse materiam preparat et ei formam addit. Acsi apostolus diceret: Cum vas, quod melius posset, suum figulum, cui tantum formam debet, non potest accusare, multo minus rationabilis creatura suum creatorem, a quo totum habet. Attende iterum, quod dicit figulum vas in comtumeliam facere, in quo figulum magis arguendum esse insinuat, si arguendus esset, quam Deum, quia figulus quasi quadam coactione et vi impellit lutum in talem formam, Deus vero non solum non impellit vel non cogit, verum etiam viam pertingendi ad bravium docet et instrumenta, quibus pertingi potest prestat, rationem videlicet et fidem.

"Quid si". Apostolus Deum a culpa iam eruit, quem tamen non solum sufficit sibi a culpa eruere, verum etiam eum commendat in eo etiam, in quo crudelis esse videbatur, sicuti in

[a] sine—gratie] *inter lineas*

Pharaone, quem ipse submersit cum exercitu illius.[255] Sed in illo tamen multum Dei benignitas commendata est, que tamdiu sustinuit malitiam illius, quia sepe et sepe misit ad illum prophetam, qui amonebat, ut populum Dei dimitteret, quia multa miracula coram illo fecit, quia multis plagis Egiptum percussit nec ille tamen desistere voluit tum minis tum miraculis revocatus. Postremo super illum populum suum persequentem quasi coactus undas clausit. In quo etiam utilitas omnium facta est. Iudeis enim, qui ibi erant, profuit multum, qui hoc videntes magis de Deo confidebant, qui in tanta potentia eruebat eos de manu inimici. Iuxta quod dictum est: Educam populum meum in manu forti in magnis mirabilibus de Egipto.[256] Alie quoque gentes, que per mundum disperse sunt, didicerunt, quia magna est illa potestas, que talia in mari operatur. Unde ab idolis ad cognitionem unius Dei revocate postmodum salvate sunt. Hinc etiam fuit, quod, cum Rahab[257] meretrix exploratores susceperit, dicebat, quia revera terram illam haberent, postquam Deus illorum eam eis promisit, quia nos, inquit, scimus, quanta faciat Deus vester. Mors itaque Pharaonis profuit, ut dictum est, tam iudeis quam gentibus, sicut etiam vita illius. Judei enim in illa oppressione meliores fuerunt quam postmodum in illa pace, quam in deserto, ubi ollas carnium requirebant in Egipto, vel etiam in terra promissionis habuerunt, ubi per affluentiam divitiarum dissoluti sunt in libidinem. Quod et in tempore ęcclesie contigit, quia in primitiva ecclesia, quando undique persecutiones eminebant, meliores fuerunt christiani quam modo sint; quia ingruentibus periculis non licebat eis non concupiscenda concupiscere aut censu vel violentia prelationes rapere, cum ipsi prelati primum ante alios interficerentur ad terrorem eorum.

Continuatio: Non solum[a] habes, unde Deum non[b] arguas vel

[a] solum] *inter lineas*
[b] non] *inter lineas*

[255] Exod. 15,4
[256] Cf. Exod. 3,7,10,20.
[257] Jos. 2,9 sqq.

in culpam non[a] trahas per predictam similitudinem, sed etiam, unde Deum commendes, quia[b] "quid" dices, "si Deus" ad commendationem suam et nostram utilitatem "volens", id est disponens,[c] "ostendere iram" pereuntibus sicut Pharaoni, quem in mari submersit. "Et facere potentiam suam notam" salvandis, ut eum plus diligant, si prius dilexerint, vel, si prius non dilexerint, ad dilectionem invitentur in illa potentia, quam in impios exercet sicut in Pharaonem.

"Sustinuit" tamen diu, et hoc est "in multa patientia vasa ire", id est illos, quibus dignum est Deum irasci, quos vasa vocat iuxta predictam similitudinem de figulo: "apta in interitum", id est digna statim interfici, in quo magna apparet patientia Dei, qui tales tamdiu sustinet.

"Ut ostenderet". Sustinuit, dico, ut "ostenderet divitias glorie", id est copiosa dona sua, per que glorificatur. Et hoc "in vasa misericordie", id est in illos, scilicet ad commodum illorum,[d] quos Deus tanquam vasa honorabilia per misericordiam suam, non meritis preeuntibus elegit ad vitam. Quod exponit dicens: "Que preparavit in gloriam", acsi diceret: Non solum fit ad commendationem Dei, quod inimicos suos tamdiu sustinet, sed etiam ad utilitatem salvandorum, qui visa patientia Dei, qui tamdiu talibus parcet, illum plus diligunt.

"Quos et vocavit" per predicatores, per internam aspirationem sicut per fidem et alia dona sua.

[90*]Et nota, quod dicit: quos, et non: que, cum prius tamen vasa dixerit, istam relationem accommodans non ad significans, sed ad significatum; quo modo alibi dictum est: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos.[259]

---

[a] non] *inter lineas*
[b] unde—quia] *in margine*
[c] id est disponens] *inter lineas*
[d] scilicet ad commodum illorum] *inter lineas*

---

[258] Exod. 16,3
[259] Matth. 28,19

[90*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 9 (PL 178, 920 A).

"Non solum". Vocavit, dico, et hoc "non solum ex iudeis" etc. "Sicut in Osee". De vocatione utriusque populi testimonium inducit. Et primum de vocatione gentium testimonium Osee prophete, qui est unus de XII prophetis, quasi dicat: Bene dixi: Non solum ex iudeis, sed etiam ex gentibus, sicut propheta iste dicit,[260] qui ait: "Vocabo plebem", id est eos, qui nondum sunt michi subditi, vocabo subditos meos, et "non dilectam", id est eos, qui nondum diligunt me, vocabo dilectos meos.

Nota ordinem vocationis, quem hic distinguit, quia vocatio a timore inchoat, qui nos Deo quasi servos, nondum quasi amicos subicit et nos primum sapere facit, quoniam initium sapientie timor Domini.[261] Tandem in dilectione perficitur, ubi est consummatio, que de servis facit filios. Hinc David: A timore tuo concepimus, quia perfectio partus est in amore.[262] Sic et Johannes, cum iudei venirent ad eum, ut baptizarentur credentes illam exteriorem ablutionem sufficere, a timore incipiens dicebat illis: Genimina viperarum, id est venenatorum filii et ipsi venenosi, quis vos sic docuit fugere a ventura ira.[263] Ecce securis iam posita est ad radicem arboris,[264] id est Christus, qui malam arborem excidit, quia in Christo duo sunt, divinitas et humanitas. Humanitatem autem, quam videmus, manubrium, quod tenetur, designat. Ferrum vero, quo inciditur, divinitatem, qua Christus incidit.

Milites autem, qui cum illis venerant, super ista increpatione Johannis, quem pro plus quam propheta[265] habebant, stupefacti sunt dicentes: Et nos, quid faciemus? Ad quos ille: Vestrum, inquit, non vitupero officium. Sed vestris dispendiis estote contenti nec rapinis vivite.[266]

---

[260] Osee 2,24
[261] Psalm. 110,10; Eccli. 1,16.
[262] Locus non inventus
[263] Luc. 3,7
[264] Matth. 3,10
[265] Matth. 11,9
[266] Luc. 3,14: Neminem concutiatis neque calumniam faciatis et contenti estote stipendiis vestris.

Et "non misericordiam" etc. Ista duo ad priora duo referuntur, primum ad primum, secundum ad secundum, et est unum de timore et alterum de dilectione, quia tunc Deus incipit misereri peccatoris, quando hoc donum ei prestat, ut saltem eum serviliter timeat, ut tandem de servo fiat amicus vel filius.

"Ysaias". Inducto testimonio de vocatione gentium inducit testimonium de vocatione iudeorum. Et hoc est "Ysaias clamat", id est aperte monstrat de vocatione Israel, quamvis eum interfecerint, dicens: "si numerus" etc., id est, quamvis filii Israel innumerabiles sint et steriles, id est inutiles, tamen "reliquie fient salve", in tempore videlicet gratie.

Nota, quod dicit: reliquie, id est pauci et quidam pannosi tamquam peripsema illorum, salvi fient, sicut sunt illi, qui cotidie convertuntur ad Christum. Non enim divites volunt converti, sicut nec ipsum Christum predicantem secuti sunt. Cum enim dixerit cuidam adholescenti diviti: Vade vende omnia et sequere me,[267] ille molestus recessit. Sed Petrus, qui nichil habebat, qui cum illo victum habebat meliorem quam per se haberet, eum[a] libenter secutus est et ceteri pauperes. Unde, cum Nichodemus, qui erat unus de principibus, argueret alios, quia Christum per invidiam querebant interficere dicens: Putatis Christum extinguere, sed eum utique exaltabitis, cum quo quotiens disputamus, deterius nostrum est,[b] et venissent nuntii, quos miserant, ut illum comprehenderent, et dicerent: || Quare non adduxistis eum? 116r
et illi, quia numquam sic locutus est ille, dixerunt: Numquid aliquis de principibus credidit in illum?[268]

"Verbum enim". Monstrat Ysaias,[269] quomodo salve fient reliquie ille, non videlicet per legem, sed per ewangelium, et hoc est, quia erit, subaudis,[c] "verbum", id est predicatio ewangelii "consummans in equitate", id est perficiens homi-

[a] eum] *inter lineas*
[b] cum—est] *inter lineas et in margine*
[c] erit, subaudis] *inter lineas*

[267] Marc. 10,21; Luc. 18,22; Matth. 19,21.
[268] Joh. 7,45 sqq.
[269] Is. 10,22.

nem in iustitia, ut unicuique reddat, quod suum est, diligendo Deum supra se et proximum tamquam se[270] et hoc propter Deum, quod minime lex faciebat, que erat imperfecta, que, ut sepe dictum est, nichil ad perfectum perduxit.[271] Sed hoc verbum illam iustitiam, que in lege inchoata est, consumat, et ideo verbum est[a] consumans, ita videlicet perfectum, quod non est necessarium aliud superaddendum esse. "Et adbrevians", id est breve ad comparationem legis prioris—sapiens enim paucis innotescit verbis[b]—, quia, cum in ewangelio multe istorie contineantur de miraculis Christi sicut et in lege de factis Moysi, parum est tamen illud, quod ad nostram consumationem spectat, veluti, quod dictum est in monte: Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum celorum, et beati illi et illi.[272] Et iterum: Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima tua etc.[273]

"Quia verbum". Ubi erit verbum consumans et adbrevians, quia "Dominus faciet" tale verbum super "terram", id est super legem, que de terrenis erat, terrena videlicet promittens, non celestia.

"Et sicut predixit". Quasi dicat: Et sic illud dixit Ysaias de vocatione iudeorum, sicut et istud predixit:[274] "Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen". Tractum est a seminantibus, qui de aliqua corrupta annona meliora grana eligunt ad seminarium. Ad quam, inquit, similitudinem: nisi Deus reliquisset nobis semen, id est de nobis quosdam, licet paucos, tamquam ad seminarium elegisset, qui fructum facerent, veluti apostolos,[c] nos omnes mortui essemus, filii videlicet cum parentibus, sicut factum est in Gomorra et Sodoma, ubi filii cum patribus extirpati sunt.

---

[a] est] *inter lineas*
[b] sapiens—verbis] *inter lineas*
[c] veluti apostolos] *inter lineas*

---

[270] Marc. 12,30 sq.
[271] Hebr. 7,19
[272] Matth. 5,3 sqq.
[273] Marc. 12,30.
[274] Is. 1,9

Attende, quod dicit Dominus Sabaoth, id est Dominus exercituum, ut illis timorem incutiat, ut videlicet illum saltem pre timore in memoriam habeant, qui ita exercitus illorum ducit et servat incolumes contra exercitus alienos.

"Quid ergo". Ostendit de vocatione gentium, ubi magnum lucrum animarum factum est et facile, et de vocatione iudeorum, ubi pauci iam sunt conversi sive etiam convertendi, et hoc per reliquias id est per quosdam pannosos. Modo vult assignare, quare isti tam facile, tam avide verbum predictionis susceperint, illi vero adeo difficile. Quia videlicet gentes legem non habebant, et ideo, ex quo audierunt, ewangelice predicationi adquieverunt. Judei vero, quia legem habebant et a Deo datam, sicut nos scimus, ewangelium respuerunt putantes legem suam ad salutem sufficere et in illis operibus exterioribus iustificationem esse nec aliam legem super illam recipiendam esse.

Sed, ut inde causam assignet, movet questionem dicens: "Quid ergo dicemus"?, quasi dicat: quia isti difficile, illi facile ad Christum convertuntur, "ergo quid dicemus"?, id est super hoc quam causam poterimus dare? Diceret aliquis, unde. Inde videlicet, quod gentes, "que non sectabantur iustitiam", id est que nullam sectam iustitie habebant, "apprehenderunt", id est a iudeis, susceperunt "iustitiam", ewangelicam doctrinam, ubi est iustificatio hominis. Sed ad differentiam iustitie, que in operibus legis videbatur esse, supponit "iustitiam, que ex fide", id est que de interioribus est, de non apparentibus, ubi Deus videt, non de exterioribus, ubi homo. In quibus iudei occupati iustitiam querebant, quod palam est in Jacob et Esau. Jacob enim de interioribus et de domesticis animalibus patrem placavit. Esau vero foras exivit querens, quod intus non habebat, ut de venatione, id est de exterioribus patrem reficeret.[275]

"Israel vero". Ita gentes apprehenderunt doctrinam salutis. Sed "Israel", id est iudaicus populus, "sectando legem iustitie", id est illa carnalia legis opera, in quibus iustitiam

---

[275] Gen. 27.

querebat, "non pervenit in legem iustitie", id est non statim[a] suscepit legem iustitie, id est ewangelium, quod vere iustificat hominem ligans eum Deo per amorem; quam legem, ut dictum est, gentes facile susceperunt, de quibus dicitur: Populus, quem non cognovi, servivit michi; in auditu auris obedivit michi.[276] Et iterum: Populo, qui nascetur, annuntiabunt celi iustitiam meam,[277] id est apostoli, qui celi dicuntur, quia sunt preeminentes in virtutibus. Unde alibi: Celi enarrant gloriam Dei,[278] id est viri apostolici. "Quare?" Ut causam assignet, quare populus ille iustitiam non apprehendit, ipse querit, quare non apprehendit, dicens: "quare", quia videlicet ex fide non querebant iustificari, sed ex operibus legis, id est iustitiam, que de interioribus est, non querebant, sed iustitiam querebant ex operibus, ubi nulla erat. Et hoc est, quia "non est ex fide", id est iustitiam, que de interioribus est,[b] non querebant, "sed quasi ex operibus", id est in illis observantiis querebant iustificationem, in quibus tamen quia vera iustitia non erat, ideo quasi-iustitiam appellat, quoniam illa opera aliquam iustitiam pretendebant apud homines.

"Offenderunt enim". Diceret aliquis: Et quare non ex fide, id est iustitiam, que de non apparentibus est, quam continet ewangelium, quare non susceperunt? Quia videlicet "offenderunt", id est habuerunt pedes offensos "in lapidem offensionis", id est in Christum, qui erat illis lapis offensionis, de quo scriptum est: Et hic erit in ruinam et resurrectionem multorum.[c] Quia enim videbant eum parvum, adeo videlicet abiectum, esurire, sitire et ceteris afflictionibus subiectum esse et in similitudine carnis peccati[279] [d] sicut ceteros homines, ideo respuebant non credentes de eo,

---

[a] statim] *inter lineas*
[b] est] *inter lineas*
[c] de quo—multorum] *in margine superiori*
[d] peccati] *inter lineas*

---

[276] Psalm. 17,45
[277] Psalm. 21,32
[278] Psalm. 18,2
[279] Rom. 8,3

quod credendum erat. Et ita in hunc lapidem, quia parvus erat, offenderunt.[280] Sepius enim in parvos lapides offendimur, quia a magnis facile precavemus nobis. Sed in hunc lapidem summi sacerdotes, qui alios debebant instruere, precipue offensi sunt timentes, ne Christus summus fieret pontifex et ceteras prelationes suis conferret apostolis. Et ideo, quantum poterant, querebant eum extinguere. De quibus dictum est: Lapidem, quem reprobaverunt edificantes, id est illi, qui alios debebant edificare, hic tamen factus est in caput anguli[281] Cum enim putarent eum extinctum esse, cum primum cepit crescere, quia, cum mortuus esset sine filiis, fratres illius, id est apostoli, acceperunt uxorem eius, id est ęcclesiam, et genuerunt ei filios.[a] In Christum itaque offenderunt, qui ideo lapis dicitur, quia est firmum fundamentum fidelium, de quo dictum est: Non est aliud fundamentum preter id, quod positum est,[282] Jhesus Christus. Sed hoc fundamentum, quia multum humile erat, multi, ut dictum est, in illo offensi sunt. Nemo enim adeo humilis fuit sicut Christus, quem nos legimus discipulis suis ministrasse in mensa et illis pedes abluisse; et, cum inter se contenderent, quis illorum maior esset in regno celorum, dixisse eis: Reges gentium dominantur eorum, et, qui super eos potestatem habent, benefici vocantur. Vos autem non sic; sed qui maior vult esse, fiat sicut minister.[283] Quorum omnium minister erat ipse et maior factus est in regno celorum, id est in ęcclesia Dei, cuius et ipse caput est, de quo Johannes: qui minor est vestrum id est humilior, maior omnium est.[284] Neminem autem apostolorum invenimus ministrasse illi preter mulieres, que ei ministrabant, quarum una, id est Maria Magdalena, unxit ei pedes.[285] Sed modo abbates etiam nostri in mensa sedent nec exemplo Christi

---

[a] filios] *correctum ex* filius

---

[280] Rom. 9,32
[281] Matth. 21,42; Marc. 12.10; Luc. 20,17
[282] 1 Cor. 3,11
[283] Luc. 22,25 sq.
[284] Luc. 9,48
[285] Joh. 12,3; Matth. 26,7; Marc. 14,3; Luc. 7,38

ministrant, imo eis splendide ministratur, qui omnia bona terre comedunt et cotidie cibum miserationis habere volunt. Qui, quoniam ceteris fratribus non est communis, non solet, ut arbitror, super illum benedictio fieri: ceteri vero cibi benedictionibus non carent.

Ad hanc autem humilitatem Christi, qui est caput ęcclesie,[a] designandam fiunt minora ecclesiarum capita quam corpus reliquum. Infra vero altaria[b] altius eminent, quia infra Christum humilem latebat divinitas, que omnibus preeminet. "Sicut scriptum". Offenderunt, dico, in lapidem offensionis. "Sicut", inde, "scriptum est" ita: "Ecce pono". Hoc testimonium de Ysaia[286] sumptum est, per quem ait Dominus: "Ecce pono" id est firmiter statuo sicut firmum fundamentum[c] "in Sion", id est in ęcclesia, "lapidem offensionis", id est Christum, in quem multi offendent, et "petram scandali". Expositio: Syon monticulus quidam est, in quo David turrem altam fecit, per quem montem, qui specula interpretatur,[d] accipitur ęcclesia, id est fideles, qui semper sunt in specula, ut ab hostibus sibi provideant et suas actiones circumspicientes cavent undique a temptationibus, ne in aliquo Deum offendant.

"Qui credit in eum", non ei vel eum, sed in eum id est credendo[e] diligere et totis viribus ad hoc tendere. "Non confundetur", id est de sua expectatione erubescentiam non incurret. Ille enim non confunditur, qui, quod speravit bonum, illud invenit. Mali autem hanc confusionem habebunt, qui multo aliter, quam sperent, invenient.

---

[a] qui—ęcclesie] *inter lineas*
[b] altaria] altiaria
[c] sumptum—fundamentum] *in margine; add. et del.:* saia sumptum est
[d] qui specula interpretatur] *inter lineas*
[e] credendo] *inter lineas*

---

[286] Is. 8,14; 28,16

[Cap. 10.]

"Fratres". Quia iudeos hucusque graviter arguit, ne putarent istam invectionem potius esse ex odio quam ex amore, quoniam ex iudeis sepe mortiferas tribulationes sustinuit, ita videlicet, quod eum semimortuum sub lapidibus relinquebant, monstrat se ex dilectione hoc dixisse. Quod apparet per hunc effectum, quia videlicet devote pro illis orat ad Dominum et premittit nomen fraternitatis, ut suam humilitatem ostendat vocans illos fratres, non filios, non subditos. Debemus enim minores fratres nominare, maiores vero vel etiam equales patres appellares. Et ideo ad humilitatem apostoli designandam in omnibus lectionibus, quas ęcclesia ab epistolis illius excerpsit, premittitur fraternitatis vocabulum. Et hoc est "fratres", quasi dicat: Quamvis illos graviter arguerim, tamen scitote, fratres mei, me hoc dixisse ex affectu. Quod liquidum est per hunc effectum, quia videlicet "voluntas" etc., id est voluntaria et ex corde facta, id est devota || obsecratio, que fructuosa est. 116v
"Ad Deum pro illis in salutem," id est, ut eos salvet. Et merito pro illis oro, quia ego, qui hoc in me expertus sum,[a] "peribeo testimonium illis", id est iudeis, non omnibus videlicet, sed quibusdam. "Quod habent emulationem", id est magnum fervorem in preceptis Domini, ut ea servent. Dicitur enim fervor zelus tam in bono quam in malo cum magno desiderio. Unde illud: Zelus domus tue comedit me,[287] id est fervor magnus corrodit me. Christus enim, cum cetera omnia tam in se quam in membris suis facile sustineret, nullo modo sustinere potuit vendentes et ementes in templo Dei; sed magno fervore accensus mensas evertit et omnes eiecit dicens: Scriptum est: domus mea domus orationis vocabitur.[288]

[a] qui hoc—sum] *inter lineas*

[287] Psalm. 68,10; Joh. 2,17
[288] Luc. 19,46; Is. 56,7

"Sed non secundum". Quasi dicat: Magnum fervorem habent, sed erroneum, in quo decipiuntur. Et hoc est: "sed non secundum scientiam".

Isti autem omnes, pro quibus orat apostolus, qui tanto fervore legem Dei amplectuntur, si in ceteris Deum non offendunt, sed omnibus modis, que sciunt Deo displicere, vitant, et, que placere, faciunt, sicut de quibuslibet huiusmodi verum est, Deus illis revelabit vel exterius per predicationem vel interius per aspirationem, quicquid est necessarium, sicut fecit Cornelio, ut supra meminimus, vel Paulo.

Queritur, an, si quis talium in tali fervore sine sacramentis ęcclesie moriatur, dampnetur.
[91*]Ad quod philosophus: Ita, inquit. Non enim in hoc amore perseveraret, quia de mundo exiens, cum videret penas sibi preparatas, inciperet Deum odire. Vel possumus dicere, quia talis statuitur, qualem manere et dampnari impossibile est, sicut est[a] de quolibet predestinato, qui, si in aliquo criminali moreretur, et dampnari et salvari oporteret; quod est impossibile.
Ceteri vero iudei, qui manifeste mali sunt sicut Anna et Caiphas, pro quibus orandum non est, scienter peccabant in Christum. Cum enim scirent eum iustum esse, sanctum et inreprehensibilem, non tamen credentes eum Filium Dei esse, nisi sicut ceteros sanctos, ea miracula, que sciebant per Deum ab ipso fieri, dicebant eum in Belzebub facere,[289] ut quoquo modo eum extinguerent, contra conscientiam Deum diabolum esse appellantes. Quorum omnium nullus salvus est, quia hoc peccatum est inremissibile. Quicumque enim in Spiritum Sanctum peccat, numquam revertitur.[290]

---

[a] est] *inter lineas*

---

[289] Matth. 12,24; Marc. 3,22; Luc. 11,15
[290] Matth. 12,32

[91*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 2 c. 3 (PL 178,837 B sqq.); *Theologia christiana* lib. 2 (PL 178,1205); Epistola 7 (PL 178,256 A); Cf. etiam Cod. Zwettl 109 fol. 47v.—A. Landgraf, "Das sacramentum in voto in der Frühscholastik" *Mélanges Mandonnet* II. Paris (1930), 113.

"Ignorantes enim". Vere non secundum scientiam, quia "ignorantes iustitiam Dei", id est doctrinam Christi ad iustitiam esse. "Et querentes statuere", id est firmiter ponere "suam", scilicet iustitiam, quam putant in operibus legis esse. "Non sunt subiecti iustitie Dei", id est non obediunt doctrine Christi, que est ad salutem. Et in hoc errant, quia lex ista tenenda est, illa vero abicienda. Et quare? Quia "omni credenti", ea videlicet fide, qua credendo Christus diligitur et ad eum omnibus modis tenditur. "Christus", id est doctrina Christi. "Finis legis", ita videlicet, ut amplius finiantur et cederent legalia, que iam statum suum amiserunt, quia, sicut Johannes dicit, usque ad Christum lex et prophete.[291] Et merito finis, quia Christus est "ad iustitiam", id est sufficiens est iustificare hominem.
"Moyses enim". Diceret aliquis: Et illa lex nonne est ad iustitiam. Non utique, quia solummodo est de promissione terrenorum. Nusquam enim sunt eis eterna promissa, quod et ipsi profitentur. Et tamen cum ab ipsis, inquit, quererem, an eternorum remunerationem, cum nulla sint promissa pro observantia legis, expectarent, aiebant, quoniam expectabant. Deinde procedebam: Si Deus pro cerimoniis illis ęterna daturus est in remuneratione, quare sola terrena in promissione posuerit. Si enim bonus esset orator, ut bene persuaderet, meliora bona, que ad precepta servanda magis allicerent, non taceret, cum ea tamen omnino tacuerit ea bona tantum[a] nobis proponens, que ad observationem mandatorum minus trahebant. Ad hec autem non habent, quid obiciant.

Continuatio: Vere ad salutem non est, quia "Moyses" de ea "scripsit" sic: quia videlicet homo, "qui fecerit iustitiam, que ex lege",id est, qui opere complet, que lex precipit, que quandam iustitiam conferre videntur. Hanc remunerationem[b] habebit, quia videlicet "vivet", id est non punietur "in ea", id est per eam.

---

[a] tantum] *inter lineas*
[b] remunerationem] remunationem

---

[291] Matth. 11,13; Luc. 16,16

"Que autem". Quasi dicat: De iustitia legis scripsit Moyses, ut dictum est. Sed de iustitia, que est "ex fide", id est, que de non apparentibus est, quam confert Christus, "sic dicit" idem, videlicet Moyses: "Ne dixeris" etc. Hec verba nimis brevia sunt et mirabiliter detorta et ideo locus iste a paucis capitur. [92*]Sed inprimis attende, quod testimonia, que sumuntur vel a prophetis vel ab aliis, aliter sedent eo loco, a quo sumpta sunt, et aliter eo loco, ad quem sumpta sunt. Veluti, cum dicitur defuncto Herode[a]: Ecce angelus apparuit in sompnis Joseph dicens: Accipe puerum et matrem eius et vade in terram Israel. Defuncti enim sunt, qui querebant animam pueri,[292] ut impleretur, quod dictum est per prophetam: Ex Egipto vocavi filium meum.[293] Hec auctoritas ibi, unde sumpta est, est de eductione populi de Egipto, quem Dominus vocat filium suum primogenitum; in Matheo vero de proprio filio consubstantiali, cum tamen et ibi de eodem secundum misterium sit intelligendum. Similiter autoritates, quas huc apostolus transfert a Moyse, aliter sonant hic et aliter ibi, unde transferuntur, ubi conveniunt cum antecedentibus et consequentibus.[b] Moyses enim in fine legis in Deuteronomio post datam legem quantum ad litteram alloquitur Israelem dicens: O Israel, iam habes legem. Ne dixeris in corde tuo:[c] Quis ascendet in celum, ut afferat nobis precepta,[d] secundum que vivamus, vel quis ibit ultra mare propter legem. Prope est[e] enim verbum in ore tuo et in corde tuo.[294] Sed Moyses, qui misteria, que in lege involuta erant, intelligebat, hic etiam mistice ad illum populum locutus est, acsi diceret: O Israel, etsi non omnia mi-

---

[a] Herode] herede
[b] ubi—consequentibus] *inter lineas et in margine*
[c] in corde tuo] *inter lineas*
[d] precepta] *bis ponitur*
[e] est] *inter lineas*

---

[292] Matth. 2,20
[293] Matth. 2,15; Os. 11,1
[294] Deut. 30,11-14

[92*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 10 (PL 178, 294 C sqq.).

steria ad presens intelligis, de revelatione ceterorum ne desperes dicens in corde tuo: Quis ascendet in celum, ut inde nobis horum revelationem afferat, quasi nemo sit ascensurus, qui ista revelet. Christus enim veniet, qui omnia vobis revelabit, de quo dictum est: Et incipiens a Moyse interpretabatur omnes scripturas. Et tandem ascendet et mittet paraclitum, ut ea, que per caput non sint revelata, per membra, id est per apostolos, revelentur iuxta illud: Nisi autem abiero, non veniet spiritus veritatis. Si autem abiero, mittam eum ad vos[295] et suggeret vobis omnia et docebit vos omnem veritatem.[296] Ante enim ascensionem apostoli parum erant intelligentes, sed postmodum variis linguis magnalia Dei locuti sunt, postquam spiritum capitis acceperunt, quem ipsa veritas sine mensura accepit. Illud enim unguentum,[a] quod aliis stillatum est, Christo sine mensura collatum est, quippe Deus nichil retinuit, sed illi totum infudit, de cuius plenitudine postea omnes accepimus.[297] Maria enim post unctionem fregit pixidem,[298] quia nichil unguenti retinuerat, quod servaret, sed totum in unctione capitis infuderat. Sic et Deus pixidem suam fregisse videtur, cum omnem unctum suum Christo contulerit nullum donum retinens,[b] quod ei non impertierit.

Litteram sic lege: "Ne dixeris", id est ne desperes de revelatione misteriorum, de vera videlicet iustitia revelanda dicens "in corde tuo, quis ascendet in celum", ut videlicet dicas: nemo. Quod dicendum non est. Quare? Quia hoc est "Christum deducere", de celis videlicet, qui celos ascendit, per quem omnia enigmata legis revelata sunt.

"Aut quis descendet". Istud apostolus ex parte sua videtur addere, quia in Moyse scriptum non est: quis descendit in abissum? imo: quis transibit ultra mare?, nisi hoc ex illo

---

[a] unguentum] *inter lineas*
[b] retinens] *bis ponitur*

---

[295] Joh. 16,7
[296] Joh. 15,26
[297] Joh. 1,16
[298] Marc. 14,3

aliquo modo detortum esse per aliquam translationem dicamus vel per interpretationem LXXta interpretum vel per aliquam aliarum translationum, que de lege diverso modo facte sunt, unde hoc sumpsit apostolus.[a] Vel etiam in translatione huius epistole, quam credimus in ebraico scriptam esse, transmutatum est aliter, quam sit in translatione, quam de lege habemus. [93*]Et hoc dicit philosophus inductum esse ad similitudinem, ut videlicet sic de ascensu Christi non desperet quis, sicut nec etiam de descensu, qui videlicet descendit ad inferos, ut suos liberaret. Et hoc est "aut quis descendet in abissum", id est ad inferos, acsi diceret: Sic ne dixeris in corde tuo illud, sicut nec istud. Quare? Quia "hoc est Christum" etc., id est qui hoc dicit, revocat Christum ex mortuis, id est astruit Christum non[b] esse mortuum et descendisse ad inferos, ut suos ad gaudium duceret. "Sed quid dicit scriptura?" Quasi dicat: Illud non debes dicere, sed istud, quod scriptura dicit, ut videlicet credas et eum descendisse et eum ascendisse. Et bene poteris, quia hoc verbum, quod scriptura docet, verbum videlicet incarnationis, passionis et ceterorum, que de Christo credenda sunt, "prope est in corde tuo et in ore", id est consonum est ad credendum et confitendum et rationi consentaneum ad disserendum, ut videlicet, sicut beatus Petrus astruit, parati simus omni poscenti de fide nostra rationem reddere,[299] de qua presto sunt rationes ad ea etiam confirmanda, que magis impossibilia videntur vel contra naturam fieri. Deus enim in ipsis creaturis, que precesserunt, nos rationibus premunivit de singulis confirmandis, veluti si de resurrectione dubitetur, potest confirmari per phonicem, que se comburit et de illo pulvere nova resurgit. Partus etiam virginis confirmationem habet a quibusdam[c] animalibus,[d] que sine coitu

[a] unde—apostolus] *inter lineas*
[b] non] *inter lineas*
[c] quibusdam] dam *inter lineas*
[d] animalibus] animabus

[299] 1 Petr. 3,15

[93*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 10 (PL 178,924 A).

concipiunt et pariunt, ut eque vel lepores vel apes etiam, que sine coitu procreant filios. Et si ista pretermittamus, ad primordiales causas possumus recurrere. Si enim Deus ex limo primum hominem creaverit limum convertens in ossa et carnem et sanguinem, vel etiam de costa illius primam mulierem mutans eam in carneam naturam vel || osseam vel 117r
sanguineam, multo magis rationi consentaneum est ex similibus similia posse fieri, ut videlicet Deus de corpore virginis, ubi omnia plena erant, aliud corpus procrearet.

"Hoc est verbum". Vere prope est, quia "hoc est verbum fidei, quod predicamus." Ex quo verbo sequitur salus, quia, "si confitearis in ore", non alieno, sed tuo, ut videlicet, quod confiteris, intelligas et ad id disserendum non omnino deficias, ne locum idiote suppleas more pueri in ęcclesia.

"Et credideris in corde", id est assenseris in corde tuo per fidem, "quod Deus" etc. Cum isto cetera subintellige, que necessarium est credere ad salutem. "Salvus eris", id est salutem consequeris, si in eo videlicet permanseris.

"Corde enim". Diceret aliquis: Estne ita cordis credulitas ad salutem necessaria vel oris etiam confessio? Revera, quia "corde creditur ad iustitiam", id est oportet fidem preire et non quamlibet, sed fidem cordis, id est fidem, qua Deus diligitur ad hoc, ut iustitia, id est salus consequatur. Et non solum fides necessaria est, sed etiam "confessio ore ad salutem". Non intelliges confessionem de peccatis, sed fidei confessionem, que necessaria est unicuique ad hoc, ut ęcclesia eum recipiat et ei sua concedat sacramenta, sine quibus nulla salus est.

"Dicit enim scriptura". Vere fides cordis ad iustitiam est, quia "scriptura dicit", quod "omnis", id est tam gentilis[a] quam iudeus, qui "credit", non dico ei vel eum, sed "in eum", qui videlicet credendo diligit, "non confundetur", id est de spe sua non incurret erubescentiam.

"Distinctio enim". Bene dico: omnis, nullum excipiens nec gentilem scilicet nec iudeum, quia non est "distinctio

[a] gentilis] gentiles

iudei et greci" apud Deum videlicet in salute.[a] Nichil enim refert, de quo genere hominum sit, qui in Deum credit.
"Nam idem". Vere non est distinctio, quia "idem Dominus omnium", id est tam iudeorum quam gentilium est. "Dives", id est sufficiens ditare omnes veris divitiis, qui "invocant", non qui vocant simpliciter, sed qui "invocant", id est qui interiori affectu vocando ad eum tendunt.
"Omnis enim". Bene dico: in omnes, qui invocant eum, quia "omnis, qui invocaverit", id est cum interiori affectu postulaverit, consequetur gloriam. Omnis enim, ut sepe dictum est, qui, quantum potest, ad hoc laborat, ut, que scit Deo placere, faciat, et, que displicere, fugiat, securus potest esse, quia, sicut apostolus dicit, si cor nostrum nos non reprehendit, fiduciam habemus apud Deum.[299a] Que si perseveraverit, ei utique revelabit, quicquid est necessarium. Postulaverit, dico[b] "nomen Domini", id est notitiam. Quia enim unaqueque res suo nomine designatur et cognoscitur, ideo per nomen Domini cognitionem illius intelligimus. Quam cognitionem qui cum interiori affectu postulaverit, in illa habenda per experientiam non deficiet in apparitione glorie illius, de qua dictum est: Satiabor, cum apparuerit gloria tua.[300] Et hanc notitiam experiri est salutem habere, de qua dicit veritas: Vita autem ęterna est, ut cognoscant te et quem misisti Jhesum Christum.[301]
"Quomodo ergo". Ostendit, quam necessarii sint predicatores et doctores ęcclesie, qui de verbo vite alios instruunt et eos ad vitam trahunt. Sed pauci sunt hodie tales, quales esse oporteret, qui videlicet singulis diebus vel saltem semel in septimana, id est in die dominica, sufficiant vel de epistola vel de ewangelio populum suum edificare. Sed tales sunt sacerdotes, quales laici, iuxta illud: Sicut populus est sacerdos. Imo etiam minus de Deo intelligunt quam quidam laici, qui utique de Deo magna sentiunt.

[a] videlicet in salute] *inter lineas*
[b] consequetur gloriam—Postulaverit dico] *in margine*

[299a] 1 Joh. 3,21.
[300] Psalm. 16,15
[301] Joh. 17,3

Continuatio: Ita invocatio ad salutem ducit. Sed, quia sine fide esse non potest, ergo "quomodo invocabunt", scilicet homines, "in quem non crediderunt", id est cui nondum coherent per fidem et dilectionem. "Aut" etiam, quod minus est, "quomodo credent ei, quem non audierunt" vel exterius per predicationem vel interius per aspirationem. Minus enim est,[a] ut supra meminimus, credere Deo vel Deum quam in Deum. Et "quomodo audient", de Deo videlicet quicquam, "sine predicante" id est sine predicatore exterius annuntiante vel gratia interius revelante. Et "quomodo predicabunt, nisi videlicet presumptionem fecerint causa lucri et temporalis commodi. [94*]De quibus dicit veritas: Quotquot autem venerunt, fures sunt et latrones.[302] Quod beatus Jeronimus[303] exponit dicens: Bene dicit: venerunt, quia illi dicuntur venire, qui a Deo non mittuntur, sed per se veniunt et se intrudunt non[b] causa Dei, sed causa pecunie. "Nisi mittantur", a Deo videlicet, non per se venientes. Quasi dicat: Revera non predicant sine presumptione, nisi mittantur. Sed tales mittuntur, "sicut scriptum", scilicet: "quam speciosi pedes". Pes dicitur affectus, quo ducimur tamquam pedibus ad aliquid faciendum. [95*]Sed tunc sunt

---

[a] est] *inter lineas*
[b] non] *inter lineas*

---

[302] Joh. 10,8

[303] Cf. *Commentariorum in Osee* lib. 2 c. 7 (PL 25,873): "Omnes, qui venerunt ante me, fures fuerunt et latrones" (Joh. 10,8). Fures insidiantur et occulta fraude decipiunt; latrones audacter aliena diripiunt. Qui enim furantur, nocte furantur et in tenebris. Unde significanter ait, quod fur ingressus clam sit et latrunculus exspoliet foris. Non enim possunt exspoliare veste Christi, quos docuerunt, nisi eos de ecclesia forse eduxerint et in perversa doctrinarum suarum via fecerint ambulare. Fures et latrones, qui venerunt ante Dominum, non Moysen et prophetas, qui semper salvatoris ore laudantur, sed pseudoprophetas debemus accipere et postea haereticos, qui non missi sunt a Domino, sed sua voluntate venerunt.

[94*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 10 (PL 178,926 C).

[95*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 10 (PL 178,926 C).

pedes speciosi, id est affectus sive intentiones, quando ab omni pulvere terrene cupiditatis abluti sunt, ut, quicquid facimus, propter Deum faciamus, ut videlicet totus pulvis temporalis commodi a nostris intentionibus abluatur; a quo pulvere Dominus pedes discipulorum abluit, ut in predicationibus suis solum Deum finem ponerent. [96*]"Ewangelizantium", id est predicantium "pacem", id est reconciliationem hominis ad Deum. Unde dictum est eis: In quamcumque domum intraveritis, dicite: Pax huic domui,[304] ut videlicet reconciliationis hominis ad Deum ostendatis vos esse ewangelizatores. "Ewangelizantium bona", videlicet ęterna post hanc vitam, de quibus dictum est in Ysaia: Que oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, que Deus preparavit his, qui illum diligunt.[305]
"Sed non omnes". Quasi dicat: Ita pax illa sive etiam bona illa per predicatores ewangelii[a] anuntiantur, sed tamen "non omnes obediunt ewangelio", id est non omnes volunt obedire. Et vere non omnes, quia "Ysaias"[306] inde "dicit", scilicet: "Domine, quis credidit auditui nostro", id est, quis assensum prebuit predicationi nostre. Quasi dicat: Pauci. Dominus enim prophetas suos ad predicandum mittebat, sed populus non solum eis non assentiebat, verum etiam eos interficiebat sicuti Ysaiam, quem per medium inciderunt.[b]

"Ergo fides". Ad illud, quod dixerat, scilicet quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?, aut quomodo credent ei, quem non audierunt?, spectat ista illatio, quasi dicat: quia non credunt, nisi audiunt.
"Ergo fides" est "ex auditu", id est ex intelligentia, que habetur vel exterius per verba vel interius per aspirationem. Et "auditus", id est intelligentia, est "per verbum Christi", id

---

[a] ewangelii] *correctum ex* ewangelizatore
[b] inciderunt] inciderint

---

[304] Luc. 9,4
[305] 1 Cor. 2,9; cf. Is. 64,4
[306] Is. 53,1

[96*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 10 (PL 178,926 C sq.).

est per predicationem Christi vel per se vel per membra sua. "Sed dico". Quasi dicat: Fides sic est ex auditu. Sed ne quis de auditu se excusare possit, "dico, numquid non audierunt?" Imo audierunt, "et quidem", id est, quia "sonus eorum" id est fama apostolorum, "in omnem terram exivit", cum videlicet Roma, que caput mundi erat, statim in magna parte fuerit conversa; cuius conversio, cum et tunc omnes Romam veniebant, omnibus annuntiata est. De quo supra meminit dicens, quia fides nostra anuntiatur in universo mundo.

"Et in fines". Expositio: vel non solum in omnem terram, sed etiam in singulis finibus uniuscuiusque anuntiatus est Christus.

"Sed dico". Quasi dicat: Sed cum alii audierint, ne Israel aliquam excusationem pretendat, "dico": "numquid Israel" non audivit? Imo audivit, per quem predicatores oportebat ad alios transire, cum esset in medio mundi positus. Et non solum, dico, audivit, sed etiam "cognovit" ea videlicet, que vel Christus predicabat vel membra illius tenenda esse et ad salutem pertinere. Sed per invidiam de bono cognito, quod in Christo videbant et quod in se non recognoscebant, quia invidia semper de bono est sicut etiam superbia, querebant eum extinguere et doctrinam illius omnino avellere.

"Primus". Probat per testimonium eos cognovisse, quia per cognitionem boni, quod in Christo cognoscebant, in invidiam ducti sunt. Et hoc est[a] "Moyses[307] primus", id est maximus et princeps omnium prophetarum apud illos, "dicit", imo Dominus per illum: "Ego", in corporea videlicet natura vobis apparens,[b] "adducam vos in emulationem", id est per invidiam de bono scilicet cognito. Illi enim sine dubio sciebant Christum hominem esse sanctissimum et neminem ea posse facere, que faciebat, nisi Deus esset cum illo. Sed tamen invidia et timore amittendorum opera illius diabolo ascribebant timentes, ne sua doctrina prevelleret, ut sic

[a] est] *inter lineas*
[b] apparens] *inter lineas; add. et del.*: presens

[307] Cf. Deut. 32,21

populum avellerent dicentes, quia ecce totus mundus abiit post illum. Unde Cahiphas, qui erat pontifex, dicebat: Oportet, ut unus moriatur pro populo, ne tota gens pereat,[308] quia summi sacerdotes mortem illius precipue machinabantur, qui timebant suas dignitates amittere dicentes: Ne forte veniant Romani et tollant nobis locum et gentem.[309] Adducam, dico, propter illam scilicet invidiam, "in non gentem", id est vos disperdam, ut gens non sitis. Gens enim non dicitur, nisi congregatio hominum. Unde, cum ipsi sint dispersi per universum mundum, populus sive gens non vocantur. Et hoc "in gentem insipientem", id est per gentem insipientem, sicuti per Romanos, Titum videlicet et Vespasianum, qui in vindicationem dominici sanguinis funditus civitatem illorum everterunt et eos in istam videlicet dispersionem posuerunt, imo Dominus per illos.

"In iram", id est in odium, "mittam vos". Quasi dicat: non solum vos adducam in non gentem, sed etiam odiosos
117v vos faciam universis || nationibus. Sed tamen Sarazeni vehementius illos odio habent et magnas violentias eis inferunt propter illas videlicet veteres inimicitias, que inter illos orte fuerunt, quia gentes per istum populum exhereditate sunt. Christiani vero cum illis concordiam habent dispessante ęcclesia, que neminem cogere vult, sed cum omnibus pacem habere. Et hoc ad commodum istorum et ad confirmationem nostre fidei. Videntes[a] enim hunc populum inter nos, ad memoriam reducimus, quia sic et sic a Deo ęlectus est et post tot beneficia Dominum turpissima morte affecit. Rursus, illud utile est, quia cotidie ęcclesia aliquem ad Deum revocat.

"Ysaias autem". Rursus testimonium Ysaie inducit de obstinatione illorum, sed primum de conversione gentium. Et hoc est[b] "Ysaias audet", id est per magnum ausum dicit, quia eos timebat, qui eum postmodum interfecerunt. Moyses

---

[a] videntes] *correctum ex* videmus
[b] est] *inter lineas*

---

[308] Joh. 11,50
[309] Joh. 11,48

vero libere de eis dicere poterat, quod volebat, sicuti illorum Dominus.

"Inventus sum non querentibus", id est cognitus sum ab illis, qui prius de me non querebant quicquam. Et "apparui palam", id est cum doctrina manifesta, que non est misteriis involuta sicut prior. "Qui me non interrogabant", id est qui etiam verba de me non habebant.

"Ad Israel autem" quid "dicit", id est de obstinatione Israel? Et ecce ausus.

"Tota die", id est toto tempore gratie, quod super terram habui, "expandi manus meas", id est manifestavi opera mea, ut illos colligerem, et noluerunt iuxta illud: "Quotiens volui congregare filios tuos sicut gallina pullos suos et noluisti.[310] "Non credentem", quia non solum in me non[a] credebant, sed etiam contradicebant. Cum enim illum iustum hominem cognoscerent[b] et sanctum, dicebant eum demonium habere,[311] et scienter male de illo loquebantur dicentes: Ecce vorax ciborum et potor vini.[312]

---

[a] non] *inter lineas*
[b] cognoscerent] cognoscent

---

[310] Matth. 23,37; cf. Luc. 13,34
[311] Matth. 11,18
[312] Matth. 11,19

[Cap. 11.]

"Dico". Quia vehementer locutus est de reprobatione iudeorum vel obstinatione, ne isti nimium desperarent, illi nimium insultarent putantes omnimode Israel reprobatum esse, ostendit, quoniam populus ille non est ita reprobatus, quod Deus multos fideles in illo populo non habeat, quasi dicat: Quia dixi populum illum non solum non credentem, sed etiam contradicentem, ne putetur omnino reprobus esse, ergo "dico", id est compellor dicere, istud videlicet: "numquid Deus repulit", id est omnino abiecit "populum suum"? Ad quod ipse respondet dicens: "Absit", id est nequaquam. Et vere non abiecit omnino, quia ego, qui sum de populo illo, non sum a Deo abiectus. Et hoc est, quia et "ego Israelita sum". Et, ne videretur, quod esset adventitius, factus videlicet proselitus, supponit: "ex semine Abraham", id est ex Ysaac, qui reputatur in semen, et non de Ismaele, quia de tribu Beniamin. Vel quia dixerat: ex semine Abrahe, ne electio illius posset ascribi iustitie Abrahe, subiungit: "de tribu Beniamin", que videlicet reprobata est et a regia cecidit potestate; quasi dicat: quia etiam ego non sum abiectus, qui sum de tribu reproba.

"Non reppulit". Et quia ego sum a Deo ęlectus, "non reppulit", id est non omnino abiecit, "quam prescivit", id est predestinavit.

"An nescitis". Monstrat per exemplum Helie, ne presumant de illis iudicare, quasi Deus nullum sibi in populo illo reservaverit, ne videlicet decipiantur, sicut et Helias fuit. In persecutione enim illa, que facta est sub Jezabel regina, que prophetas Dei interfecit et altaria Domini evertit et fecit populum ad idolatriam[a] venire relicto cultu unius Dei, Helias fugiens, ubi erat in speluncis, dicebat: Domine, omnes te dereliquerunt et ego solus relictus sum in Israel.[313]

[a] ad idolatriam] *inter lineas*

[313] 3 Reg. 19,14

Cui Dominus: Reliqui michi VIItem milia virorum, qui non flexerunt genua ante Baal.[314] Et ideo, fratres, videte, ne in illis preiudicium facientes sic decipiamini. Non enim ita ex toto Dominus reprobavit populum suum.

Continuatio: Bene dico: Ne presumatis de illis iudicare, et hoc exemplo Helie, quia "an nescitis, quid scriptura in Helia", id est ubi de Helia loquitur.

"Quemadmodum interpellat Deum adversum Israel", ut videlicet illum deleret de terra, orans, ne ibi plueret, et non pluit[a] per IIIes annos et menses VI,[315] dicens: "Domine, prophetas tuos occiderunt et altaria suffoderunt", id est funditus everterunt, "et ego solus relictus", omnibus aliis videlicet a te aversis. "Et" insuper "querunt animam meam". Hoc autem dicebat, quia in speluncis latens non videbat alium nisi se. Sed cum ille, videlicet hoc, diceret, "quid dicit divinum responsum?" Istud: "Reliqui michi", quasi dicat: Non est ita, sicuti tu dicis, quia ego "reliqui" etc. Sic et vos, fratres, nolite presumptionem facere. Et hoc est: "Sic ergo et in hoc tempore", sicut videlicet in illo, "reliquie", id est quidam, etsi per reliquias, ut supra. Vel quidam relicti in Israel, non videlicet reprobati cum aliis,[b] "salvi facti sunt". Et hoc non secundum merita, sed "secundum electionem", id est eligentem gratiam. Quorum videlicet salus non ex meritis, sed ex gratia primum motum habuit, quia, si ex "gratia" salvi facti, "non ex operibus". Bene dicit: [97*] ex operibus, et non per opera, quia salus, ut dicimus, non ex operibus initium vel motum primum habet,[c] sed ex gratia sola, quia "alioquin", id est, si ex operibus proveniret principium salutis, "iam gratia non est gratia", id est non procederet ex dono Dei gratuito, sed ex meritis.

---

[a] et non pluit] *inter lineas*
[b] non videlicet—aliis] *inter lineas*
[c] habet] *in margine superiori*

---

[314] 3 Reg. 19,18
[315] 3 Reg. 17 sq.

[97*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 11 (PL 178, 928 C).

"Quid ergo". Quia videlicet secundum electionem gratie salvi facti sunt, "ergo quid" dicemus ad istam questionem? "Quod querebat" Israel, in operibus videlicet legis, "non est consecutus", quasi dicat: patens est, quia revera non est consecutus in istis salutem, que ex gratia provenit.

"Electio". Vere non est consecutus ex operibus, quia "electio consecuta est", id est illi, qui electi sunt, consecuti sunt non ex operibus, sed per electionem. [98*]Electio autem est preparatio gratie, quam Deus in tempore suis impertit electis. Que causa est, quare iste vel ille salvetur. Unde et Deus dicitur causa bonorum omnium, cum videlicet gratiam suam huic vel illi impertiat, unde vitam promeretur.

Sed queritur, cum similiter gratiam suam quibusdam subtrahat, si sit causa malorum.

[99*]Ad quod philosophus: Ita, inquit. Quod et ipsa asserit veritas, que ait: Si non venissem et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Sed quia veni et non crediderunt, maius peccatum habent.[316] Ecce ergo convincitur, quia etiam Deus peccatorum causa est, cum et iterum dicatur: Positus est, ut supra meminimus, in ruinam et resurrectionem multorum.[317] Et iterum, ut paulo ante dictum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis et petram scandali.[318] Non tamen Deus malorum auctor est, etsi ex illo videatur posse convinci, quia videlicet sine ipso factum est nichil,[319] ut et ipse tam boni quam mali auctor sit. Quod autem scrip-
118r tum fuit ewangelium,[a] || peritissimus asserit ita distinguen-

[a] Quod-ewangelium] *pars inferior paginae desecta et linea vix legibilis*

[316] Joh. 15,22
[317] Luc. 2,34
[318] Rom. 9,33
[319] Joh. 1,3

[98*] Cf. nota 33.

[99*] Cf. P. Ruf et M. Grabmann, *Ein neuaufgefundenes Bruchstück der Apologia Abaelards* (Sitzungsberichte der Bayerischen Akademie der Wissenschaften. Phil.—hist. Abteilung. Jahrgang 1930 Heft 5), München (1930), 10.—Abaelardus, *Dialogus inter philosophum, iudaeum et christianum* (PL 178,1677 B); *Sic et Non* c. 31 (PL 178, 1389).

dum esse et non aliter debere stare, nisi ut ita versus terminetur: et sine ipso factum est nichil, quod factum est, id est nichil, quod creatum est, sine ipso creatum est. Ydolum quippe potius formatum est quam factum, id est creatum. Creata enim Dei sunt, qui ex nichilo aliquid facit; hominis vero formata, qui in creaturis Dei operatur inprimens eis formam, ut per forme impressionem statum, quem primitus non habuerunt, nostra operatione suscipiant.

"Ceteri vero". Continuatio: Illi per electionem consecuti sunt,[a] || sed "ceteri" non solum sunt non consecuti, verum 117v
etiam "excecati", qui videlicet lucem, que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, non receperunt, sed viam veritatis, id est Christum respuerunt, qui ait: Ego sum via et veritas,[320] quam illi renuerunt, quia tempus visitationis sue non cognoverunt.

"Sicut". Excecati sunt, inquam. "Sicut", inde, "scriptum" est ita: "Dedit illis" etc. Origenes,[321] cui notum erat et vetus testamentum et novum, dicit hoc loco se nusquam invenisse: dedit illis Deus spiritum compunctionis, nec, unde verba ista detorta sunt. Cetera vero, que sequuntur, ex quibusdam verbis Ysaie[322] mutuata sunt.[b] Possumus autem dicere, quod primum testimonium ex aliqua legis translatione sumpserit, quia fortasse notior erat, quamvis ab ebraica veritate dissentiret; vel quoniam, ut credimus, epistolas in lingua sua scribebat, in translatione earum corruptum erat, quia fortasse interpres proprietatem sermonis ebraici sequi non poterat, qui adeo est defectivus.

Testimonia autem illa sic exponuntur: "Deus dedit illis spiritum compunctionis", id est stimulos invidie, in Christo videlicet, cui invidebant de bono cognito, ut quocumque modo eum extinguerent. Et dedit illis "oculos, ut non videant",

[a] Electio autem est preparatio—electionem consecuti sunt] *in margine laterali et inferiori et transit ad marginem inferiorem folii 118r*
[b] sunt] *sequitur vacuum tertiae partis lineae*

[320] Joh. 14,6
[321] Origenes, *Comment. in epist. ad Rom.* lib. 8 (PG 14,1179). Cf. Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 11 (PL 178,935).
[322] Is. 6,9

id est oculos clausos, ut Christum non cognoscerent, quem ita humilem videbant, mortalem et passibilem. Quia enim[a] scriptura dicebat de Christo, quia vivit in ęternum et regni eius non est finis,[323] in illum credere non poterant dicentes apud se, quia finem huius regnum habet, cum et ipse finem habebit, quem esurire, sitire, mortalem esse videmus. Non enim volebant credere, quod Deus in tanta abiectione eos visitaret. Et sic luce veniente facti sunt non videntes, qui prius videntes erant, ut veram lucem non discernerent. Et iterum dedit eis "aures, ut non audiant", id est aures non audientes, ut videlicet non intelligerent vel salubrem Christi predicationem vel scripturas sacras, quas habebant, que eis Christum dictabant.

"Et David". De illorum rursus excecatione inducit testimonium psalmiste,[324] qui dicit: "fiat mensa". Mensa est scriptura sacra, que est ad refectionem anime. Sicut enim cibus corpori necessarius est, ita verba sacra sunt anime necessaria, que eam reficiant[b] et sustentent. Sed ipsa[c] scriptura ista est illis "in laqueum et in captionem", id est, ut capiantur, quia tantum litteratores sunt, litteram videlicet sequentes, que occidit, et non spiritum, qui vivificat,[325] ubi est salus anime, et ideo cadentes in laqueum capiuntur.

Mensa, dico, "coram ipsis", id est tota die ante illos est, ut sint inexcusabiliores, qui mensam illam habentes non inclinant eam ad spiritalem intelligentiam, que Christum predicat.

"Et in scandalum et in retributionem", id est in retributionem scandali, in eternam videlicet penam retribuendam illis, qui in Christo scandalizati sunt.

"Obscurentur oculi eorum, ne videant", ne lumen agnoscerent, qui vero lumine veniente ceci facti sunt non solum exterius videntes Christum, verum etiam interius non in-

---

[a] enim] *inter lineas*

[b] reficiant] *correctum ex* sufficiant

[c] ipsa] *inter lineas*

---

[323] Luc. 1,33

[324] Psalm. 68,23

[325] 2 Cor. 3,6

telligentes oculis cordis sacras scripturas, in quibus Christus latebat.

"Et", o Deus, "semper incurva dorsum eorum", id est intentionem illorum inclina et applica ad terrena ista, ut videlicet istis terrenis illos intentos facias. Et dicitur intentio dorsum hominis, quia secundum illam fit inclinatio ad malum vel erectio ad bonum.

"Dico ergo". Quia graves invectiones fecerat in iudeos, ne alii in superbiam venirent et in insultationem contra illos de electione sua et de reprobatione illorum, apostolus memor sue intentionis, ut omnem videlicet altercationem repellat, ostendit, quia casus illorum non fuit inutilis, imo permultum gentibus necessarius, quibus etiam verbum Dei predicatum est per illos veluti per apostolos, qui naturaliter ex iudeis fuerunt. Ex quo enim iudei verbum veritatis res- || 118r puerunt, conversi sunt apostoli ad gentes. Cum enim dictum est illis: Ne iveritis[a] in viam gentium,[326] ne introieritis in civitatem Samaritanorum,[327] et sic instíterint predicare iudeis, tandem illis nolentibus predicationem illorum recipere, imo illos a civitatibus suis expellentibus, dicebant: Ecce, quia vos verbo Dei indignos iudicavistis, nos ad gentes convertimur et nos tamen non recedimus, sed vos nos expellitis. Et ita facta reprobatione in Israel orta est salus in gentibus. Quod apostolus ingrediens ostendere docet illos non posse illis insultare, quorum cecitas illis perutilis est et per[b] quos verbum salutis receperunt.

Continuatio: Quia graviter depressi partem iudeorum de cecitate facta in Israel, "ergo dico", id est dicere compellor, ne alii in superbiam contra illos veniant, dicens videlicet: "numquid sic offenderunt, ut caderent", id est numquid sic ceciderunt, quod casus illorum nichil utilitatis habuit, quasi dicat: Non. Imo reprobatio illorum magnam utilitatem contulit et ipsi non ita ceciderunt, quod Deus aliquos sibi

[a] iveritis] iveveritis
[b] per] *inter lineas*

[326] Matth. 10,5
[327] Matth. 10,5

non reservaverit. Et hoc est: "absit", id est nequaquam. "Sed", id est immo, "de illorum", id est obstinatione, "salus est gentibus", quia, ut dictum est, illis respuentibus verbum salutis apostoli conversi sunt ad gentes. "Ut illos", ita videlicet, "ut" gentes "emulentur illos", scilicet iudeos, in fide, qui prius in fide steterunt. Vel "ut" tandem iudei, in fine videlicet convertendi,[a] "emulentur" in fide "illos", scilicet gentiles, ut videlicet, quemadmodum gentiles modo imitantur iudeos in fide, sic iudei tandem convertendi gentes in fide imitentur.

"Quodsi delictum". Ita delicto illorum salus est gentibus et divitie mundi facte sunt et hoc per paucos sicuti per apostolos, qui ad Deum sunt conversi, sed tunc revera multo maiores erunt divitie, quando omnes isti in fine ad Deum convertentur. Et hoc est, "quod" etc. Quasi dicat: Revera tunc magne erunt divitie.[b]

"Quod", id est quia, "si delectum eorum divitie", id est, si gentes ditate sunt veris divitiis per delectum illorum; quas mundum vocat, id est insensibilia, quia prius de Deo nichil sentiebant. Ista enim IIIIor celum, terram, aerem, aquam usitato vocabulo mundum appellamus, que omnino sunt insensibilia.

Et "diminutio", id est apostoli, quibus recedentibus et expulsis diminuti sunt in Christo, "divitie" sunt "gentium", id est gentes[c] ditavere. Et est explanatio prioris.[d]

"Quanto magis plenitudo eorum", id est quanto maiores erunt mundi divitie, quando videlicet erit plena conversio illorum ad fidem Christi, cum videlicet ęcclesia plenarie habebit IIos parietes ex iudeis et gentibus.

"Vobis enim". Diceret aliquis: Suntne aliqui de populo illo convertendi? Revera. Populus enim ille[e] nondum ita obstinatus est, quod Deus aliquos ad se non convertat, quia ego aliter non instarem predicare illis. Et hoc est, quia "ego

---

[a] convertendi] *inter lineas*

[b] et divitie mundi—magne erunt divitie] *in margine*

[c] gentes] *inter lineas; add. et del.*: mundum

[d] Et est explanatio prioris] *inter lineas et in margine*

[e] ille] *inter lineas*

vobis" dico, "gentibus", quod videlicet, "quamdiu quidem" etc. Quasi dicat: Quamvis specialiter sim[a] gentium apostolus et in illis iniunctum sit Dei a Domino[b] predicationis officium, tamen officium meum semper "honorificabo", id est non solum gentibus predicabo, quod est quasi debitum, sed etiam iudeis, ut, si quos possum, ad fidem Christi convertam, quod michi erit honor. Ille enim officium suum honorificat, cui non sufficit implere, quod debet, nisi etiam aliquid superaddiderit, iuxta illud dominicum: Postquam feceritis, quod preceptum est vobis, dicite: Servi adhuc inutiles sumus.[328] Quasi dicat: Semper debito aliquid superaddite. Maiores enim videntur deberi gratie pro eo, quod superadditur, quam propter illud, quod debitum est fieri. Multo enim maiores grates impendimus alicui, qui post opus debitum aliquid nobis facit preter debitum, quantulumcumque sit, quam pro toto opere, quod fecit ex debito.

Queritur hoc loco, quomodo apostolus dicat se suum officium honorificare, cum unusquisque, quantum potest, pro Deo debere facere videatur.

Ad quod philosophus: Non, inquit, quicquid possumus, debemus facere, veluti virginitatem servare et cetera multa, que in voluntate hominis posita sunt et non sub debito aliquo constricta.[c] Unde illud: De virginibus autem preceptum non habeo, consilium autem do.[329]

Cui obicitur eum videlicet, qui, quantum potest, pro Deo non facit, non integre Deum diligere. De qua dilectione dicitur: Diliges Dominum Deum ex toto corde et ex tota anima et ex totis viribus.[330] Si enim non facit, quicquid potest, non ex totis viribus Deum diligit.

Ad quod iterum philosophus: Inprimis, inquit, quod dicitur: ex tota anima, ex toto corde, ex totis viribus, inculcatio

---

[a] sim] *correctum ex* sit
[b] a Domino] *inter lineas*
[c] constricta] *inter lineas*

---

[328] Luc. 17,10
[329] 1 Cor. 7,25
[330] Luc. 10,27; Matth. 22,37; Marc. 12,30.

est verborum more sacri eloquii, sicut etiam, cum in psalmo dicitur: Miserere mei, Deus et secundum multitudinem[331] etcetera, in his tribus versibus, ut beatus dicit Augustinus,[332] idem sensus est. Quod vero dicitur: ex toto corde vel ex tota anima vel ex totis viribus, non ideo dictum est, ut totum homo, quicquid potest, faciat, sed ut, quicquid facit, ad illum finem, ad quem accommodari debet, accommodet; ut videlicet sic Deum diligat, quod se in fine non ponat, sed Deum; non vidilicet expectans, ut aliqua ad se commoda defluant, que ponat potius in fine quam Deum.

"Si quomodo". Monstrat, quomodo honorificabit. Ita videlicet, ut, "si quomodo", id est, si aliquo modo possum, "provocem carnem meam", id est fratres meos carnales, de quorum carne sum. "Ad emulandum", id est ad imitandum me. Quod exponit dicens: "et", pro id est, "salvos" etc. De quorum conversione magnum esset gaudium, quia, si ex amissione illorum magnum gaudium factum est in conversione gentium, quod gaudium erit in assumptione illorum, ubi utique adeo mirabile, sicuti vita ex mortuis, id est sicuti aliquis de inter mortuos resurgeret. Et hoc est "si enim amissio reconciliatio mundi", id est per amissionem illorum mundus reconciliatus est Deo, id est gentes, in quarum conversione tantum gaudium est. "Que assumptio" id est quod gaudium erit in assumptione illorum, id est in conversione, "nisi vita ex mortuis", id est nisi adeo mirabile, sicut in resurrectione mortuorum.

[100*]Nota, quod dicit: nisi vita ex mortuis. In oculis enim hominum non est mirabile corpus, quod prius animam non habuit, animam suscipere, veluti corpus, quod est in utero matris. Sed, si[a] corpus mortuum rursus ad vitam rediret, vehemens esset admiratio apud homines.

---

[a] si] *inter lineas*

---

[331] Psalm. 50,1

[332] Quoad sensum cf. *Enarratio in psalm.* 50 n. 6 (PL 36,588).

[100*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 11 (PL 178,931 B).

"Quod si". Quia dixerat: que assumptio est, nisi vita ex mortuis, diceret aliquis: Possuntne assumi ad fidem et ad Christum converti? — Revera. Quod apparet per illos sicuti per apostolos, qui iam de populo illo assumpti sunt. Unde palam est illos posse assumi et ad fidem suscipiendam idoneos esse. [101*]Et hoc est "quod si", id est sicut, "delibatio sancta", id est illi, qui de populo illo iam assumpti sunt sicuti apostoli, qui sunt delibatio totius populi, id est[a] ostendunt massam illam, ex qua assumpti sunt, idoneam esse ad assumendum. Est enim delibatio, quando per partem aliquam probatur totum, veluti per pomum aliquod vel per partem alterius fructus totius masse pomorum vel aliorum fructuum pregustamus saporem. Sic per apostolos delibatur, quam apta sit massa illa ad convertendum, quia, ut diximus, sicut delibatio sancta est, id est apostoli, sic semper et "massa" fuit sancta, id est ita semper in populo illo aliqui sancti fuerunt.

"Et" iterum, sicut "radix sancta" est, id est patriarche et prophete, ex quibus non solum secundum carnem sumpserunt originem,[b] sed etiam ceteri in fide illorum fundati sunt, ita etiam "rami" sancti sunt, id est in posteritate eorum semper aliqui sancti reperti sunt, qui sunt eorum imitatores in fide.

"Quod si aliqui". Ecce quam competens et quam ornata parabola, quam apostolus inducit de oliva et oleastro, per olivam, que fertilis est, accipiens iudeos, qui primum fertiles erant, per oleastrum vero, qui silvestris est, incultos gentiles et primum infructuosos, quos Deus tandem assumens ex proprio trunco sicuti ramos extraneos in bonam olivam inseruit et naturales ramos extirpavit et hoc contra morem et naturam insertionis. Solet enim de arbore melioris nature[c] in trunco deterioris inseri ramus ita etiam, quod truncus potius ex ramo saporem accipit et proprium amittit quam

---

[a] id est] *inter lineas*

[b] originem] *correctum ex* origenem

[c] nature] *in margine*

[101*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 11 (PL 178,932 B).

ramus ex trunco. Sed Deus in ista sua insertione e contrario fecit. Meliori enim trunco deteriores rami inserti sunt, qui amisso sapore proprio saporem trunci acceperunt. Hanc itaque similitudinem inducens omnem gloriationem illis aufert, quos ostendit ex se nichil habere, imo potius funda-
118v mento illorum niti, || ut etiam possint insultare contra populum illum quasi a Domino non amplius insultandum, quia facilius et magis nature consentaneum est, ut naturales rami inserantur et fructum faciant.

Continuatio: Dixi: si radix sancta est, et rami. Sed tamen, "si", id est quamvis, "rami aliqui", non omnes, "fracti sunt", a sua videlicet oliva, id est a fide patrum[a] ceciderunt. Et "tu, cum esses oleaster", id est inutilis, infructuosus, silvestris, non habens videlicet cultum Dei, "insertus es in illis", id est loco illorum, "et socius radicis", id est fidei, que radix est[b] et fundamentum omnium virtutum; que etiam fides erat in radice illorum, id est patribus et prophetis.
"Et" socius "pinguedinis". Per pinguedinem olive, id est oleum, quod ignee nature est et[c] omnibus supernatat liquoribus, accipitur caritas, que hominem in amore Dei accendit et que aliis virtutibus supereminet.
"Noli". Quasi dicat: Et cum ita sit, "noli gloriari", id est insultare de insertione[d] tua "adversus ramos", scilicet naturales. Sed tamen, "si gloriaris", id est presumis gloriari, non habes, unde glorieris, quia non "tu radicem portas". Quasi dicat: Imo illi poterunt potius gloriari contra vos, qui nichil ex vobis habetis, sed fundamento illorum nitimini et illorum trunco inserti eius saporem suscepistis vestro proprio relicto. Et hoc est "tu non portas radicem", id est patriarchas et prophetas, hoc est in fide tua non sunt fundati, immo tu in fide illorum et dilectione fundatus es. Ecce ad prophetas et patriarchas recurrit apostolus, ut eos convincat. Quo modo etiam Dominus faciebat, cum iudeis loqueretur, qui, quoniam credebant Christum esse purum

---

[a] patrum] partum
[b] est] *inter lineas*
[c] et] *add. et del.*: ad
[d] insertione] *correctum ex* insultare

hominem ex semine David, dicebat illis: Si autem filius eius, quomodo ergo David in spiritu vocat eum[a] Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis.[333] Non enim est[b] apud homines, ut pater filium suum dominum vocet. Et quoniam[c] ad hoc verbum non habebant, quid dicerent, eum postmodum inceperunt odire querentes ex illo,[d] ut eum extinguerent.

"Dicis ergo". Quia videlicet rami naturales fracti sunt et tu oleaster insertus es, "ergo dicis", apud te ipsum videlicet: "fracti sunt rami", id est ceciderunt a fide et dilectione sue olive et tua insertio consecuta est. Et hoc est "ut ego inserar". Ad quod apostolus: "bene", id est verum est utique, sed non propter tua merita illi fracti sunt, ut tu inserereris, sed "propter incredulitatem fracti sunt; tu autem", quasi dicat: Illi propter incredulitatem fracti sunt, sed tu "stas fide", id est credendo in Christum providens, ne similiter cadas. Qui enim putat se stare, videat, ne cadat.[333a]

Et ut stes, "noli altum sapere", id est superbire de tua insertione et illorum fractione. "Sed" semper "time, ne", id est ut "nec tibi parcat" Dominus, si non coheres radici, quia etiam "Deus naturaliter ramis non pepercit", quibus potius visum fuit parcendum esse. Modo sume *si* coniunctionem ita: Et si "Deus naturaliter ramis non pepercit", time, "ne tibi nec parcat". Nec mireris constructionem istam apostoli, qui nonnumquam hoc modo probationes interserit.

"Vide ergo". Quia videlicet te oleastrum assumpsit Deus et naturales ramos exstirpavit, "ergo vide", id est attende ex una parte "bonitatem", id est misericordiam, "et severitatem" ex alia, id est iustum Dei iudicium. Et in quos bonitatem et in quos severitatem attendat, supponit dicens: "in eos quidem, qui ceciderunt", id est in incredulos, qui a fide et amore divino exciderunt. "In te" vero "bonitatem" Dei, qui nullo merito precedente te assumpsit in filium. Et, ne

[a] eum] *inter lineas*
[b] est] *inter lineas*
[c] quoniam] *inter lineas*
[d] ex illo] *inter lineas*

[333] Matth. 22,43; Marc. 12,35; Luc. 20,42. [333a] 1 Cor. 10,12.

nimium reddat eum securum, supponit dicens: "si permanseris", id est perseveraveris, "in bonitate", id est in gratia tibi collata. "Alioquin". Bene dico: si permanseris, quia "alioquin", id est aliter, "et tu excideris", id est separaberis a radice, in qua insertus es. "Sed". Quasi dicat: Et non solum tu excideris, si non permanseris, sed etiam econtrario illi, si resipuerint, inserentur, et hoc est: Sed "et illi, si non permanserint in incredulitate", id est in obstinatione sua, "inserentur".

Et quis eos inseret? Deus, "quia Deus potens" etc. Quod utique rationi consentaneum est. Nam, "si tu excisus es ex naturali oleastro et contra naturam", id est contra morem inserendi, "quanto magis hi secundum naturam", id est consuetudinem insertionis.

"Nolo autem". Acsi diceret: Locutus sum vobis, fratres, de reprobatione, que facta est in Israel et de electione gentium. Et ideo, quia "nolo vos ignorare", id est volo vos scire, "misterium hoc", id est hanc Dei ordinationem, quod videlicet primum iudaicum populum elegit et gentilem reprobavit, iterum isto reprobato illum elegit, ita tamen, ut et illum in fine eligat, ut sint novissimi primi et primi novissimi. Quam Dei dispositionem misterium vocat, quia rationes occulte sunt, quare Deus sic fecerit. Et ideo nolo vos ignorare, "ut" videlicet "non sitis ipsis sapientes". Ille sapiens est sibi, qui discretionem, quam habet, studio suo ascribit et labori. Et unde est hoc misterium? Inde videlicet, quia "cecitas contigit in Israel", non tamen ex toto, etsi ex "parte". Et hoc non sine utilitate vestra, o vos gentes, sed "donec' id est ut, "plenitudo gentium subintret", id est plena sit conversio gentium. "Et" ita, ut tandem "omnis Israel salvus fiat", in fine videlicet mundi, quando omnes ad Deum convertentur.

[102*]Dicit tamen hoc loco beatus Jeronimus,[334] quod istud *omnes* generaliter non est intelligendum, sed de singulis

---

[334] Pelagius, *Expositio in epist. ad Rom.* c. 11 (PL 30,726).

[102*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 11 (PL 178,933 D sqq.).

tribubus, de quibus aliqui ad Deum convertuntur. Alii vero dicunt, quod de omnibus intelligitur. Stare potest utraque sententia. Jeronimus enim dicit de prima conversione iudeorum, quando aliqui de singulis tribubus convertentur, etsi non omnes. Alii vero dicunt de plena eorum conversione, que erit post predicationem Enoc et Helie et interfectionem antichristi, quem Dominus spiritu oris sui interficiet. Quo viso iudei invenientes se delusos esse, omnes ad fidem convertentur. Et hoc est: unusquisque de populo illo, qui denominatus est Israel a Jacob. Patriarcha enim ille binomius erat, qui Jacob dictus est et postmodum Israel, ex lucta videlicet, quam cum angelo habuit. Jacob enim Laban advunculum suum fugiens dormivit in via et vigilans vidit scalam, ubi angeli descendebant et ascendebant.[335] Et ille unum de angelis arripiens devicit. Quod a Domino provide factum est ei, ut fratrem suum, quem multum metuerat, vel hominem alium non amplius oporteret metuere, cum ipse Deum etiam superaret. Unde angelus ad eum: Non ultra, inquit, vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum.[336]

Sed queritur, cum angelus dixerit eum non ultra vocandum esse Jacob, quomodo intelligendum sit, cum postmodum frequentius Jacob dictus sit quam Israel, ab ipso etiam istoriograhpo, qui statim post luctam narratam dicit: Et surrexit Jacob et abiit.

Philosophus sic solvit: Non ultra vocaberis Jacob, id est hoc nomen Jacob non remanebit in posteris tuis, imo hoc nomen Israel tam secundum se quam secundum suum dirivatum, quod est Israelita. Posteritas enim hoc vocabulum potius ad gloriam suam, ut monstrarent se esse de progenie illius, qui Deum etiam superavit, assumere voluit et retinere ad memoriam, quia hoc ipsum etiam notat vocabulum per interpretationem, quod, ut beatus Jeronimus[337] [a] asserit,

[a] Jeronimus] *in margine; add. et del.* Augustinus

[335] Gen. 28,12
[336] Gen. 32,25-28
[337] *Liber hebraicarum quaestionum in Genesim* (PL 23,1038 sq.).

princeps Dei interpretatur, et non vir videns Deum, ut alii astruebant, quos ipse arguit male dixisse, immo deceptos esse per ebraicas litteras, que quibusdam punctis discernuntur. Cum enim ebraica scriptura singulas vocales habeat, ex varietate quorumdam punctorum illarum pendet discretio, que sepe lectorem reddunt ambiguum.

"Sicut scriptum est". Dico, ut sic Israel salvus fiat, quod utique erit, sicut "est scriptum" in propheta, "veniet", qui tandem "eripiat", sicut in fine mundi, ut dictum est. Et ne ista ereptio intelligeretur ab hostibus exterioribus, supponit: "et avertat impietatem", id est removeat peccatum, qui videlicet faciat liberationem anime a peccatis. Et hoc "a Jacob", id est a populo illo, qui tamen raro et fere numquam Jacob appellatur in sacro eloquio nisi ex Israel premisso vel supposito, sive ex aliquo tali iuxta illud: In exitu Israel de Egipto domus Jacob de populo barbaro.[338]

"Et hoc testamentum", id est firma promissio, quod videlicet avertam impietatem a Jacob. Et hoc "a me", quasi dicat: Ego ipse implebo et faciam hoc, tunc videlicet, "cum abstulero peccata eorum". Ut enim dicit beatus Jeronimus,[339] ubi habemus testamentum, in lege habetur pactum, quod est promissio firma et immutabilis. Testamentum vero proprie promissio de hereditate est, que in litteris continetur, quam pater familias mutare potest, quamdiu vivit, sed post mortem est immutabilis.

"Secundum ewangelium". Ad hoc, quod dixerat: et sic omnis Israel salvus fiat, respicit istud, quasi dicat: Israel, dico, inimici "secundum ewangelium", id est propter ewangelium, quod omnino opera legis removebat, in quibus delendis precipue nitebatur apostolus. Et ideo eum plurimum sui habebant odio, presertim illi, qui de iudeis conversi vole-
119r bant cum ewangelio etiam tenere lega || lia. In primitiva enim ęcclesia conversi iudei asserebant observantias illas tenendas esse cum sacramentis ewangelii et sacramenta legis

[338] Psalm. 113,1

[339] *Commentarius in epistolam ad Galatas*, lib. 2 c. 3 (PL 26,390); *Liber hebraicarum quaestionum in Genesim* (PL 23,1012).

in unoquoque precedere et postmodum sacramenta nova suscipere, ut, quicumque de gentibus ad fidem veniret, primum sacramenta legis susciperet, que precesserunt, deinde sacramenta ewangelii, que subsecuta sunt, superadderet. Et dicebant: Christus legem non removit, sed, ut ipse dicit: Non[a] veni legem destruere, sed adimplere[340]. Ipse enim circumcisionem suscepit et legales observantias ceteras servavit, pasca nostrum celebravit, deinde baptismum suscepit, deinde novum celebravit pasca. Unde, qui voluerit, inquiebant, Christum imitari debet ambulare sicut Christus ambulavit, ut primum videlicet vetera suscipiantur sacramenta, deinde nova. Petrus etiam in quandam simulationem venit.[b] Manens enim cum iudeis a carne porcina abstinebat et ab omnibus, que lex interdicebat. Existens vero cum gentibus carnem porcinam comedebat et omnia, que apud illos inveniebat. Iste autem apostolus videns, si ęcclesia illa legalia retineret, iudeos gloriari et gentes durantibus illis inimicitiis ad fidem nullatenus velle converti, cum viderit simulationem Petri, sicut ipse in epistola ad Galatas dicit, restitit in facie coram omnibus dicens illi: Tu, cum iudeus sis, gentiliter et non iudaice vivis; quomodo cogis gentes iudaizare.[341] Et ita rationibus ostensis omnino interdixit legalia, ne videlicet illis retentis existimaretur, quod doctrina Christi non sufficeret. Apostolum tamen quadam vice coegerunt, vellet nollet, Thimotheum circumcidere[342] et ipsum venientem Jerosolimam Nazareum esse et oblationes secundum legem facere. Nazarei autem dicuntur, qui se consecrant Deo in quodam tempore, dum et manentes in religione abstinentiam faciunt, vel qui etiam voventur et Deo consecrantur a parentibus sicut Johannes Baptista, de quo dictum est: et Nazareus vocabitur,[342] qui non[c] bibet vinum et siceram.[343] Sicera dicitur quilibet liquor preter aquam.

[a] Non] *inter lineas*
[b] venit] *correctum ex* venat
[c] non] *inter lineas*

[340] Matth. 5,17
[341] Gal. 2,11-14
[342] Act. 16,3
[343] Matth. 2,23

Et hoc est "inimici" nobis scilicet,[a] ut diximus, "secundum ewangelium", id est propter ewangelium, quod omnino interdicebat legalia, et hoc "propter vos", id est propter salutem vestram, o vos gentes, que numquam, si lex statum haberet, cum ewangelica doctrina ad fidem veniretis.

"Secundum electionem". Inimici nobis secundum ewangelium sunt, sed tamen[b] "secundum electionem carissimi", id est ipsi[c] electi sunt nobis carissimi, quia ex conversione illorum, qui sunt ex semine Abrahe, quos nobiscum habemus, maiorem habet autoritatem nostra predicatio. Et hoc est, quod addit "propter patres", id est propter auctoritatem patriarcharum et prophetarum.

"Sine penitentia enim". Diceret aliquis: Tu dicis Israel quandoque salvandum esse. Sed Deus fortasse, cum talia et talia[d] commiserit contra ipsum, sua dona illi retrahet. Nequaquam, quia "dona Dei sunt sine penitentia", id est mutatione iuxta illud: penitet me fecisse hominem,[345] id est mutabo, quod prius feci. Cum enim hominem primum fecerim, modo delebo. Vocationem refer ad fidem, dona ad caritatem, vel unum sit alterius expositio.

"Sicut enim". Quasi dicat: Et bene possunt salutem consequi, quia, sicut vos aliquando increduli modo creditis, ita et illi modo in incredulitate manentes tandem ad fidem venient. Et hoc est, quia "sicut" etc. "Propter incredulitatem illorum", quia videlicet facti increduli apostolos expulerunt, qui statim conversi sunt ad vos, "ita et isti", id est iudei, "non crediderunt in misericordiam vestram", id est in Deum, per quem vos misericordiam habetis, "ut" videlicet sic tandem "et ipsi", scilicet iudei, "misericordiam consequantur."

"Conclusit enim". Bene dico: sicut vos non credidistis et misericordiam consecuti estis, ita et isti non crediderunt,

---

[a] nobis scilicet] *in margine*
[b] tamen] *inter lineas*
[c] ipsi] *inter lineas*
[d] et talia] *inter lineas*

---

[344] Luc. 1,15
[345] Gen. 6,6,7.

qui tandem misericordiam consequentur, quia "Deus" subtracta gratia "conclusit", id est permisit concludi "omnia", id est tam gentes quam iudeos in "incredulitate, ut" videlicet "misereatur omnium", id est iudeorum et gentium. Quanto enim maiorem misericordiam adventus filii Dei contulit, tanto magis commendatur et diligitur. Istud *ut* est consecutivum.[a]

"O altitudo". Apostolus de reprobatione sive electione iudeorum et gentium locutus est,[b] quod videlicet iste populus primum electus est, ille vero reprobatus; modo iste, qui primum electus est, est reprobatus, ille vero electus, ita tamen, ut iste tandem eligatur. Et quia ita perturbate, videtur factum esse, quod primi sunt novissimi et novissimi primi.[346] Et ad hoc disserendum non sufficit humana ratio. Ideo exclamat more ammirantis dicens: "O altitudo divitiarum" id est o excellens et dives sapientia et scientia Dei, apud quem cause sunt occulte, quare sic singula disponat vel sic etiam efficiat. [103*]Sapientiam enim refer ad dispositionem et scientiam ad ipsa effecta. Sed in utroque excellens apparet Deus. Sicut enim ante effecta cause sunt incognite de ordinatione Dei, ita etiam post effecta.

"Quam incomprehensibilia". Duo supponit, que ad priora duo refert, quasi singula singulis reddens. Et hoc est: o "quam incomprehensibilia", id est quam incomprehensibiles sunt cause de dispositione Dei etiam post effecta. Et hoc est, quod supponit: "et investigabiles vie", id est etiam postquam in opere apparent, que Deus disponit, non potest investigari nisi Deo revelante, quare ista disponit. Vias autem appellat ipsa effecta, que vie sunt eundi ad Deum, ut Deus cognoscatur. Unde superius: Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, que facta sunt, intellecta conspiciuntur.[347]

---

[a] ut est consecutivum] *in margine inferiori*
[b] locutus est] *in margine superiori*

---

[346] Matth. 19,30; 20,16; Marc. 10,31.
[347] Rom. 1,20

[103*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 11 (PL 178,937 A).

Nota apostolum hoc non[a] ideo dicere, quod sit impossibile causas illas cognoscere, sed quia difficile. Quamvis enim humana ratio non possit ducere ad cognitionem illarum, Deo tamen revelante possibile est hominem eas scire, quia, si Deo revelante scire potest, potest utique scire. De quo dicit beatus Jeronimus[348] super illum locum, ubi dicitur: Generationem eius quis enarrabit:[349] *Quis* enim pronomen, inquit, non semper pro impossibili accipitur, sed quandoque pro difficili.

"Quis enim". Vere incomprehensibilia, quia "quis cognovit sensum", id est rationes, quare Deus ista disponit? Quasi dicat: Nemo, nisi Deo revelante.

"Aut quis", id est, quem consuluit Deus super disponendis et faciendis? Et ideo rationes, quas habet de eis, que disponit sive facit, omnino sunt incognite et occulte, nisi cui[b] eas Deus revelet.

"Aut quis prior". Quasi dicat: Et ita consilio nostro non indiget, sicut nec etiam beneficio, ut videlicet ei aliquod beneficium impertiamus et ille postmodum nobis[c] retribuat.

"Quoniam ex ipso". Illas causas occultas omnino ignoramus, sed istud scimus, "quoniam" videlicet "ex ipso" etcetera. Omnia sunt ex ipso, tamquam ex causa primordiali. "Per ipsum", quia per ipsum perseverantiam habent. "Et in ipso", tamquam in causa finali, ut videlicet omnia ad eum tamquam ad causam supremam referantur et in omnibus Deus glorificetur et omnia ad laudem illius fiant. Verbi gratia, si ager, quantumvis pulcer, in se attenditur nec ad illum finem, ad quem debet, refertur, nundum illam pulcritudinem habet, quam habere debet, donec ad illam causam, qua nulla superior, applicetur. Unde psalmista omnia tam sensibilia quam insensibilia[d] ad laudem Dei invitat dicens:

[a] non] *inter lineas*
[b] cui] *inter lineas*
[c] nobis] *inter lineas*
[d] insensibilia] *insenbilia*

[348] Hieronymus, *Super Ecclesiasten* c. 3 (PL 23, 1095). Cf. *Summa Sent.* I c. 7 (PL 176,54 AB).
[349] Is. 53,8

Laudate Dominum de terra dracones et omnes abissi.[350] Nulla enim creatura est, ut quidam ait philosophus,[351] que non habeat sensum in creatorem suum, id est, que laudem sui creatoris non predicet. Et quoniam omnia sunt ex ipso, per ipsum, in ipso, "ipsi sit gloria", id est fama optima, summa, late patens, ut beatus dicit[a] Augustinus:[352] Optima quantum ad excellentiam bonitatis; summa ad magnitudinem; late patens, ut videlicet ubique sit dispersa, et hoc per "in secula", id est per omnes successiones temporum, ut videlicet in nullo tempore laus Dei taceatur.

[104*]Queritur hoc loco, quomodo Deus laude sit dignior, quia ista creaverit, cum videlicet post effecta melior non fuerit quam ante, quemadmodum apostolus videtur asserere.
Ad quod philosophus: Non est, inquit, dignior nec eum digniorem esse || apostolus astruit. Non enim dignior est 119v
propter opera, qui semper bonus fuerit, qui videlicet in bonitate nec crescere nec minui potest. Effecta tamen ipsa causa sunt actiones[b] gratiarum, quod videlicet opera Dei videntes, que suum artificem mirabilem predicant, in laudem illius irrumpimus. Et hoc est, quod apostolus dicit: "quoniam ex ipso et per ipsum" etc.

---

[a] dicit] *inter lineas*
[b] actiones] actionis

---

[350] Psalm. 148,7
[351] Cf. Abaelard., *Theologia lib.* 1 c .15 (PL 178,1006): Dixerunt antiqui, quia nichil fit, quod non sensum habeat in Deum.
[352] Locus non inventus.

[104*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 11 (PL 178,937 D sq.).

[Cap. 12.]

"Obsecro itaque". In illa superiore comparatione olive et oleastri dictum est, quod iste populus insertus est, ille extirpatus et a radice sua abscisus. Ut ergo unusquisque, et qui insertus est et qui nundum abscisus est, videat, ne cadat, ex una parte attendens bonitatem Dei, ex alia severitatem,[a] rogat apostolus, ut corpora sua exhibeant hostiam viventem, Deo placentem. Non imperat, quamvis imperare possit, ut obsecratio sua magis eos alliciat ad bene operandum quam imperium. Et hoc est "obsecro itaque", non impero. Et hoc[b] "per misericordiam". Tamquam iuramentum est, quasi dicat: Misericordia Dei non sit vobis ad utilitatem, nisi feceritis, quod ego rogo. Cum enim aliquis dicit per Deum vel per passionem Domini[c] faciam illud, in illis verbis asserit, quod Deus vel passio Domini[d] ei non prosit, nisi hoc fecerit. Vel "obsecro per misericordiam", id est propter misericordiam, ut videlicet misericordiam assequamini, "ut exhibeatis". Ecce, quod obsecro, ut videlicet "exhibeatis corpora hostiam",[e] id est, ut mactetis vitia in carne vestra id est mortificetis bene operando. Et, ne intelligerent carnem mactandam esse sicut in sacrificiis animalium in lege, ut et ipsi desinerent esse more animalium, que mactantur, supponit "viventem", quasi dicat: Sic mactate carnem, ut vos ipsi tamen vivatis. "Sanctam", id est bene operando, ut sancti efficiamini. "Deo placentem", id est, ut, quicquid facitis, propter Deum faciatis et non propter vos, omnia, quecumque agitis, ad eum finem referentes, ad quem debent. Quod exponit dicens: "rationabile obsequium". Est enim obsequium nostrum[f] rationabile, cum propter Deum omnia

[a] severitatem] *correctum ex* seritatem
[b] Et hoc] *inter lineas*
[c] vel per passionem Domini] *inter lineas*
[d] vel passio Domini] *inter lineas*
[e] hostiam] *inter lineas*
[f] nostrum] *in margine*

facimus et non propter nos, ut videlicet nobis aliquod commodum ab ipso defluat.

"Et nolite conformari", id est conformes fieri "huic seculo", id est secularibus hominibus,[a] qui ea, que Dei sunt,[b] non diligunt, sed que seculi, qui videlicet in omnibus, que faciunt, potius se quam Deum in fine ponunt.

"Sed". Talibus, inquam, nolite conformari, sed "reformamini", id est ut forma filii Dei, que prius deformata est, in vobis reparetur, in omnibus Deum finem constituite. Et hoc, quod supponit, "in novitate sensus vestri", id est in novitate rationis christianis debite, ut videlicet ita rationabiliter vivamus, quod Deum in fine, non nos, constituamus. Hec autem novitas in tempore gratie revelata est et a veritate predicata, que ait: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.[353] Quod supra est expositum. Iste enim finis novus, ut videlicet omnia propter Deum faciamus, nec in prophetis propalatus est nec philosophis cognitus. In Moyse enim dicit Dominus: Ista facite et dabo vobis habundantiam frumenti, vini et olei.[354] Philosophi vero bene distinxerunt virtutes a vitiis et inter se, sed in fine erraverunt, qui virtutes propter se appetebant vitia fugientes non solum, quoniam in se turpia sunt, verum etiam amore virtutis[c] iuxta illud: Oderunt peccare boni virtutis amore,[354a] dicentes quedam propter se appetenda esse, sicut etiam quedam propter se fugienda, quia in se etiam sunt inhonesta, cum nulla sint appetenda vel fugienda nisi propter Deum finaliter. Sed quanto amplius homines priores erant tempori gratie, plus de[d] Deo noverunt et magis intellexerunt. Moyses enim plus intellexit prioribus, cui revelatum est hoc nomen Domini, scilicet Adonay, id est Dominus.[355] Similiter

---

[a] hominibus] *inter lineas*
[b] sunt] *inter lineas*
[c] vitia fugientes—amore virtutis] *inter lineas et in margine*
[d] de] *inter lineas*

---

[353] Joh. 13,34
[354] Cf. Deut. 7,13
[354a] Horatius, Epistolae, I, 16,51.
[355] Exod. 6,3

David, qui ait: Super omnes senes meos intellexi.[356] Apostoli autem omnibus aliis plus cognoverunt, de quibus ipsa dicit veritas: Multi reges et prophete voluerunt videre, que vos videtis et non viderunt, et audire, que vos auditis, et non audierunt.[357]
"Ut probetis". Monstrat, que sit illa novitas. "Ut", videlicet "probetis", id est attendatis, non que sit voluntas nostra in faciendis vel non faciendis, imo "que sit voluntas Dei", id est, que Deus approbat. "Voluntas", dico, "bona", id est bonos efficiens, "et beneplacens", id est aliis bene placere faciens, ut nemo bonus sibi vivat, sed etiam[a] alteri providens bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus et ita sit perfectus tam in se quam extra se. Et hoc est "perfecta", que scilicet perfectos facit.
"Dico enim". Bene dixi: nolite conformari huic seculo, quia non debetis sapere, postquam oportet sapere. Et hoc est, quia ego "dico", non uni, sed "omnibus, qui inter vos", et hoc "per gratiam, que data est", id est per officium predicationis, quod michi a Domino iniunctum est per gratiam suam, non meritis meis, quia videlicet specialiter sum apostolus gentium.
"Non plus sapere". Ille plus sapit quam oportet, cui non est satis malum discernere, nisi etiam experiatur. Et ita duos sapores mali[b] notat, unum in experientia, qui pessimus est, alterum in discretione, qui perutilis est. Notitia enim mali non potest bono, ut dicit B[358], deesse, qui malum nisi cognitum non vitat nec aspernatur contraria nisi cognita.
"Sed sapere ad sobrietatem". Ille sapit ad sobrietatem, qui malorum experientiam vitat. "Et unicuique" etc. Diceret aliquis: Quis est adeo perfectus, ut malis cognitis malorum experientiam vitet. Ad hoc respondens dicit, ut ea vide-

[a] etiam] *inter lineas*
[b] mali] *inter lineas*

[356] Psalm. 118,100
[357] Luc. 10,24
[358] Non apud Bedam, *Hexaemeron* lib. 1 (PL 91,44), neque *In Pentateuchum Commentarii* (PL 91,207). Neque apud Boethium.

licet faciant vel dimittant, que credunt facienda vel dimittenda esse.

Continuatio: Et si difficile vobis[a] videtur ad sobrietatem sapere, "et" id est etiam[b] saltem ita faciatis, "sicut Deus divisit unicuique mensuram fidei", id est sicut unicuique dictat conscientia, ut nichil contra conscientiam agatis et non peccabitis. Mensuram fidei dicit, quia alius plus credit alius minus secundum gratiam Dei, qui prout vult singulis dividit donum fidei.

Queritur, an illius bona esset intentio,[c] qui propter Deum id, quod faciendum non est, faceret, quod tamen conscientia dictaret faciendum esse.
[105*]Ad quod philosophus: Numquam, inquit, bona est dicenda intentio, que erronea est, quamvis ad Deum applicetur, sicut nec etiam bonum opus dicendum est, quod ex tali intentione proficiscitur. Veluti eorum intentio bona non erat vel opus bonum, qui interficiendo martires putabant se obsequium Deo prestare. Opus enim bonum dicetur ex bona intentione, que videlicet nichil erroris habet, iuxta illud dominicum: Si oculus tuus, id est intentio tua, simplex fuerit, id est nichil pulveris habens, totum corpus[d] lucidum erit, id est opus, quod inde sequitur, bonum erit.

Queritur iterum, an amor ille sit erroneus, qui hominem propter Deum ad hoc faciendum, quod fieri non convenit, impellit.
[106*]Nequaquam, inquit, quia est amor honestus, qui Deum finem ponit.

Queritur iterum, an ex tali opere ille meritum habeat[e] apud

---

[a] vobis] *inter lineas*
[b] id est etiam] *inter lineas*
[c] intentio] *inter lineas*
[d] corpus] *correctum ex* opus
[e] habeat] *inter lineas*

[105*] Cf. Abaelard., *Ethica seu Scito te ipsum* c. 12 (PL 178,652 D sq.).
[106*] Cf. Abaelard., *Ethica seu Scito te ipsum* c. 12 (PL 178,653 B).

Deum, qui recto amore et non erroneo id facit, quod, cum faciendum non[a] sit, credit tamen faciendum esse.
107*Nequaquam, quia ex opere, inquit, non meretur homo, sed ex voluntate operandi.
"Sicut enim". Diceret aliquis, quia dicis: sicut Deus divisit, estne differentia in donis Dei?—Revera. Quod ostendit per similitudinem congruam. Et hoc est, quia, sicut "in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent", immo actus differentes, "ita", id est ad hanc similitudinem nos "multi sumus unum corpus," quod est ęcclesia, cuius corporis caput Christus est.
"Singuli". Multi unum corpus sumus, sed "singuli" sumus "membra, alter" videlicet "alterius" membra id est instrumenta, ut videlicet singuli singulos iuvent secundum donum gratie a Deo sibi collatum. Veluti si quis scientior fuerit, doctrinam illius sive exortationem minus edocti sentiant. Vel si quis in divitiis habundet, fratribus, qui non habent, subveniat. Qui enim non subvenit, cum habeat, tot pauperum homicida est, quot sustentare potuit. Sic et ceteri aliis ministrent secundum gratias differentes.
"Habentes autem". Bene dixi: alter alterius membra, secundum dona videlicet[b] gratiarum, quia nos habemus "differentes donationes", id est differentia dona, et hoc non per merita nostra, sed per "gratiam", id est per donum Dei gratuitum, quod nobis datum est.
Et "habentes", id est, qui habent dona ista diversa, habeant ea, subaudis, et dispensent, sive "prophetiam" sive aliud donum, "secundum rationem fidei," id est secundum hoc, quod unusquisque rationabiliter faciendum esse credit. Et hoc est, quod paulo ante dixerat, ut videlicet ita unusquisque saperet, saltem sicut Deus unicuique divisit mensuram fidei, id est faceret, sicut faciendum esse crederet et hoc specialiter in donis Dei, que hic enumerat, ut videlicet unusquisque eo

[a] non] *inter lineas*
[b] videlicet] *inter lineas*

359 Matth. 6,22; Luc. 11,34

107* Cf. Abaelard., *Ethica seu Scito te ipsum* c. 12 (PL 178,653 B).

modo gratiam sibi a Deo impensam tractet, quo rationabilius || faciendum esse existimat. Et hoc est "sive" 120r
quis prophetiam, id est interpretationem scripturarum, habet, eam, inquam, habeat "secundum rationem fidei", id est illam ita dispenset, prout melius eam dispensandam esse credit.

[108*]Et nota quod istud "secundum rationem fidei" ad singula, que sequuntur, applicandum est.

"Sive ministerium". Ministerium vocat officia illa mediocria veluti sutoris officium, que tamen permultum in civitate necessaria sunt. De quibus dispensandis docet, ut videlicet, si quis officium habet, habeat in "ministrando", non in lucrando, ut potius lucra attendantur quam Deus et hoc secundum rationem fidei, ut videlicet in suo unusquisque ministret officio, sicut putat melius ministrandum esse.

"Sive" etiam, "qui docet", id est, qui habet gratiam instruendi, instruat non causa lucri, sed "in doctrina", ut videlicet Deus finis constituatur.

Et attende, quod doctrina ad ignorantes pertinet, ut doctrinam, quam nondum cognoverint, cognitam percipiant; exortatio vero ad scientes, ut in eo bono,[a] quod iam perceperunt, confirmentur et illi obediant. De qua supponit dicens: qui "exortatur", id est, qui gratiam exortandi habet, habeat in "exortando", ut videlicet propter Deum exortationem faciat nec dicat, ubi potius sit nummus quam Deus.

"Qui tribuit" id est qui impendit[b] aliquod beneficium alicui, impendat "in simplicitate", non videlicet intendens, ut parvulus cibus in hamo positus, ut beatus Jeronimus[360] dicit,

---

[a] bono] *inter lineas*

[b] impendit] *inter lineas*

---

[360] Hieronymus, epistola 52 (PL 22,535): Sunt, qui pauperibus paulum tribuunt, ut amplius accipiant; et sub praetextu eleemosynae quaerunt divitias, quae magis venatio appellanda est quam eleemosynae genus. Sic bestiae, sic aves, sic capiuntur et pisces. Modica in hamo esca ponitur, ut matronarum in eo saeculi protrahantur.—Abaelardus, Sermo 33 (PL 78, 593 A).

[108*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 8 (PL 178,939 D).

magnum piscem sibi trahat. [109*]Ille enim in simplicitate tribuit, qui suppremam causam Deum constituit.

"Qui preest", id est, qui prelationem habet, presit "in sollicitudine", ut videlicet sit sollicitus circa gregem commissum. Quod parum attendunt episcopi, qui curam aliorum suscipientes potius de lucris cogitant quam de salute subditorum. "Qui miseretur", id est, qui de illata iniuria dat alicui veniam, det hilariter, ut et apud Deum et apud homines laudem habeat, non videlicet cum turpibus verbis vel contumeliis dicens: Fili meretricis, quamvis et hoc et hoc michi feceris, tibi tamen modo indulgeo. Vel "qui miseretur", id est, qui alicui aliquod impendit beneficium, cum hilaritate impendat nullum ei, cui impendit, convicium dicens, sicut quidam faciunt dicentes: Meretrix vetula, turpissima, istud accipito. Qui et suum amittunt et illum, cui bona sua impertiunt, iratum sibi reddunt.

"Dilectio sine simulatione", id est non ficta, ut videlicet non aliud dicatur et aliud in corde habeatur, sed amor, quem verba promittunt, unanimiter in corde teneatur.

"Odientes malum", id est vitia. "Adherentes bono", id est virtutibus. Vel "odientes malum", id est conversationem mali hominis. "Adherentes bono", conversationi boni hominis, quia cum sancto sanctus eris et cum iniquo iniquus. "Caritate fraternitatis". Supra de caritate egit; hic de effectu caritatis, ut videlicet illam dilectionem, quam interius habent, in operibus invicem exhibeant,

"Honore invicem prevenientes". Et ut habeant, quid omnibus faciant, vult apostolus, ut et eis, qui beneficiis eorum non indigent, veluti potestatibus, et sibi invicem honorem impendant. Non dicit tamen, ut inpendant, sed, ut honore invicem preveniant, ut videlicet ita sint solliciti, ut unusquisque studeat alter alterum in honore prevenire, Quod cum postmodum honorem ab alio susceperit, tamquam debitum

---

[109*] Abaelard., *Expositio in epistolam Pauli ad Romanos* lib. 4 c. 8 (PL 178,940) etiam ad locum citatum Hieronymi alludere videtur per verba: "vel sicut faciunt, qui aliquid largiuntur alicui *amplius* inde se *recepturos* sperantes.

suscipiat, non gratuitum. Que res multum gratos sibi reddit homines.
"Sollicitudine non pigri", in omnibus videlicet istis. "Spiritu ferventes", acsi diceret: Etsi opere non completis, voluntatem faciendi habeatis. Et hoc est: "spiritu ferventes", id est caritate estote ferventes ad operandum, quantumcumque potestis. "Domino servientes", id est in omnibus, quecumque facitis, propter Deum faciatis, ut quamvis homini videamini servire, non hominem, sed Deum omnino in fine ponatis. Veluti etiam,[a] si maiores cibos alicui diviti sive potestati quam pauperi preparatis, non nisi ad[b] Deum respectum habeatis, qui potestates in terra ordinavit. Et, ne istam servitutem Dei in timore pensarent, ideo competenter premissum est: Spiritu ferventes, ut Deo potius ex amore serviant quam timore pene.
"Spe gaudentes, in tribulatione patientes." Sic construe: Estote "patientes in tribulatione", ut, si magna fuerit afflictio, maiora cogitentur premia et dicat unusquisque apud se: Que cura michi de momentaneis istis tribulationibus, qui ęternam expecto gloriam. Sed unde sit ista consolatio, premittit dicens: "spe gaudentes", que videlicet mentem anxiam pre angustiis hilarem reddit, ut omnes angustias parvipendat et quasi pro nichilo reputet.
"Orationi instantes", id est stantes estote in orationibus et non sedentes. Illi enim orando sedent, qui ad sonum exteriorem affectum non habent interiorem. De quibus dictum est: Populus iste labiis me honorat, cor autem longe a me.[361] Illi vero stant in orationibus, qui cum affectu maximo mentem verbis accomodant.

Queriter, quid valeat oratio, cum Deus non verba penset, sed mentem, non attendens, quid dicatur, sed quo animo.
[110*]Ad quod philosophus: Duobus, inquit, modis necessaria

[a] etiam] *inter lineas*
[b] ad] a

[361] Matth. 15,8

[110*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 4 c. 12 (PL 178,942 C).

est: tum quia monstramus orando nos[a] inferiores esse[b] eo, a quo postulamus, et illud, quod postulamus, nequaquam per nos habere posse, nisi ipse contulerit, tum quia in ipsa prolatione verborum ex intelligentia ipsorum contritiores efficimur et magis compungimur. Veluti si aliquis iniuriam sibi illatam vel miseriam aliquam referet, sepe usque ad lacrimas cogetur, iniuria videlicet, que iam preterierat, ad memoriam per verba reducta.

"Necessitatibus sanctorum communicantes", subveniendo illis de bonis vestris, ut et vos indigentia illorum et illi opulentia vestra participent.

"Hospitalitatem sectantes", ut videlicet non solum, si qui ad vos venerint, recipiatis, verum etiam nolentes et tamquam coactos ad hopitium trahatis.

"Benedicite persequentibus vos", id est, qui vos odiunt. Si enim eis benedicitis, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?

"Benedicite". Repetit, ut verba benedictionis menti concordent. Et hoc est "benedicite" etc. Non dicit: et non maledicite, sed: nolite maledicere, id est non habetote maledictionis voluntatem.

"Gaudere". Mutavit modum curialitatis causa dicens: "gaudere", pro gaudete, "cum gaudentibus", id est tantam caritatem habetote, que compellat vos gaudere de bono alterius et dolere de malo illius. Veluti sancti homines faciunt, qui de morte illius etiam dolentes,[c] quem sciunt de miseria ista ad vitam transire, usque ad lacrimas compunguntur tamquam sustinentes penam illam, quam illi sciunt displicere.

"Idipsum invicem sentientes", id est, quod de vobis ipsis sentitis, de aliis etiam id ipsum sentiatis iuxta illud: quod vobis vultis fieri, homines, aliis facite, et, quod non vultis

---

[a] nos] *inter lineas*
[b] esse] *inter lineas*
[c] dolentes] *inter lineas*

---

362 Matth. 5,46

fieri vobis, aliis ne feceritis. [111*]Non autem, si scortum vultis vobis adduci, convenit tamen,[a] ut alii scortum adducatis. Sed sic intelligitur: quod vultis fieri, id est, quod approbatis, parati estote aliis facere, et, quod non vultis, id est, quod non approbatis vobis fieri, ne aliis approbaveritis faciendum esse.

"Non alta sapientes", ut videlicet, si aliquid novum inveneritis, non ad ostentionem facitote, ne in superbiam veniatis. "Sed humilibus consentientes", id est in omnibus humilitatem sequamini.

"Nolite esse prudentes". Ille est prudens apud se ipsum, qui nichil vult facere nisi propter lucra sua, ut omnia ad commodum suum applicet.

Vos, dico, non "reddentes" alicui "malum pro malo", id est iniuriam pro iniuria, sed libenter iniurias ab alio illatas sustinete. "Providentes" id est providere facientes bona hominibus. Sed sic hominibus placendum est, ut semper finis in Deo ponatur. Ponere enim finem in hominibus pessimum est, cum tamen placere hominibus bonum sit. Unde dicitur: Si enim adhuc hominibus placerem, id est finem placendi ponerem, servus Christi non essem.[363] || Pla- 120v
cere autem hominibus bonum est multis de causis, tum quia alios suo bono exemplo invitabit, tum quia preceptio illius facilius suscipietur, tum quia persuasio ipsius apud illos efficacior erit. Vos, dico, habentes "pacem", concordiam "cum omnibus hominibus", tam cum iudeis quam cum gentibus, "si fieri potest", quasi dicat, quia difficile est. Tale est, quod alias dicitur de electis, quos dicit in novissimis persecutionibus, si fieri potest, venire etiam in disperationem, quia videlicet difficile est.

---

[a] tamen] *inter lineas*

---

[363] Galat. 1,10

[111*] *Sent. Herm.*, c. 32 (PL 178,1748 D).—*Sententiae Parisienses* (Cod. Paris. Nat. lat. 18108 fol. 74v—A. Landgraf. *Ecrits*, 50).—Cf. etiam Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 5 c. 13 (PL 178,949 D sq.).

"Quod", pacem scilicet habere cum omnibus, quamvis sit difficile, tamen "ex vobis est", id est ad hoc etiam natura vestra vos compellit, ut videlicet homo hominem diligat. Vel aliter "quod ex vobis est", quasi dicat: Etsi alii vobiscum pacem habere noluerunt, vos pacem habetote cum omnibus. Et hoc est "quod ex", id est tantum facite, quantum ad vos pertinet.

"Carissimi", dico, "non[a] defendentes vos ipsos" de iniuria alteri illata, sed vosmetipsos[b] potius accusantes et sic veniam postulantes. Et hoc est: "sed locum date ire", illius videlicet, cui facta est iniuria, ut ab illo transiens non remaneat. Tunc enim locus transeundi ire datur, cum ille, qui iniuriam fecerit, potius se accuset quam defendat et veniam postulet. "Scriptum est enim", quasi dicat: Non solum non defendentes, sed nec etiam ulciscentes, si vobis quis iniuriam fecerit, quia inde "scriptum" est ita: "Michi vindictam" reservate, subaudis: "et ego retribuam, dicit Dominus". Ex auctoritate ista videtur omne exercitium vindictarum auferri, ut nulla potestas de malis vindictas sumat. Sed non est ita. Illa enim potestas, que propter Deum vindicat, Deo vindictam reservat; et huic concordat auctoritati, que dicit: "Michi vindictam" reservate, acsi diceret: O homines, ita vindicate, ut ego potius in vobis vindicem quam vos et utar vobis ad ulciscendum tamquam instrumento meo. Non enim estis, qui loquimini, sed spiritus patris mei, qui loquitur in vobis.[364] Tale est illud, quod veritas dicit in ewangelio de muliere deprehensa: Qui sine pecato est, primus in eam lapidem mittat,[365] quasi dicat: Hoc videte, ut ille, qui pecatum non habet, id est Deus, potius eam lapidet quam vos.

"Sed si esurierit". Noli defendere sicut nec etiam ulcisci, sed istud videlicet facito: "si esurierit inimicus". Hoc dicit Salomon[366] in proverbiis de dilectione inimici. Salomon

---

[a] non] *inter lineas*
[b] ipsos] *inter lineas*

---

[364] Matth. 10,20
[365] Joh. 8,7
[366] Prov. 25,21

enim et David magis erant de tempore gratie quam ceteri. Unde David: Si retribuam retribuentibus michi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.[367] "Hoc enim". Ad hoc, quod dixit: non vos defendentes, sed locum date ire, respicit, quasi dicat: Et bene hoc dixi, ut sic faceres, quia "hoc faciens congeres carbones ignis super caput eius", id est mentem illius, que est capud interioris hominis, caritate, que est ignee nature, incendes.

"Noli vinci a malo", id est superari a mala concupiscentia et perversa; sed "vince", id est supera, etsi non omnino[a] extinguas "malum", id est perversam concupiscentiam, "in bono", id est per bonum, scilicet per rationem, ut caro non sit domina, sed ancilla.

[a] omnino] *inter lineas*

[367] Psalm. 7,5

[Cap. 13.]

"Omnis anima". Capitulum est contra quosdam, qui volebant se subtrahere dominis suis dicentes se nichil debere potestatibus, qui supremam potestatem iam caput habebant id est Christum, qui eos iam liberos fecerat. Hanc controversiam dirimit apostolus volens, ut alibi dicit,[a] unumquemque in ea vocatione, in qua vocatus est, manere, ut videlicet unusquisque, quod debet, quod Dei est Deo, quod Cesaris Cesari paratus sit reddere.[368] Alioquin potestates nomen Christi haberent odiosum et doctrinam illius, que ita tamquam per violentiam servos suos sibi auferret. Et hoc est: "omnis anima subdita sit potestatibus sublimioribus". Et hoc propter Deum, qui potestates in terris ordinavit, in eis videlicet, que ad Deum pertinent et que contra salutem non sunt. "Non enim". Et merito subdita, quoniam "non" est "potestas nisi a Deo". Et quecumque "sunt a Deo, ordinata" sunt, videlicet a Deo. Quare "qui resistit potestati", "Dei" etiam "ordinationi resistit". Sed non est resistendum, quia quicumque "resistunt", in eis videlicet, que sciunt se debere facere, nec volunt reverti, "ipsi adquirunt", id est incurrunt, "dampnationem", eternam videlicet penam a Deo, sicut etiam temporalem ab ipsis potestatibus. "Nam principes". Dico: adquirunt dampnationem, qui resistunt, sed non resistunt nisi mali, quia "principes non sunt timori boni operis", id est eis, qui bene operantur, sed qui male. Et quia potestates non sunt[b] timende nisi a malis, "vis" tu "non timere potestatem, bonum" videlicet "fac", id est bene operare et non solum non timebis, verum etiam "habebis laudem ex illa", scilicet potestate. Et vere laudem, quia "Dei minister est tibi in bonum", id est ad hoc habet hanc

---

[a] ut alibi dicit] *inter lineas*
[b] sunt] *inter lineas*

---

[368] Matth. 22,21; Marc. 12,17; Luc. 20,25

administrationem a Deo, ut, qui bene fecerit, ei premium reddat.

"Si autem male". Quasi dicat: Si bene egeris, laudem poteris expectare, sed, si "male feceris, time", penam videlicet, quia "non sine causa gladium portat", id est gladius ille, quem portat, non est ei comissus sine causa, immo propter vindictam exercendam.

"Dei enim". Vere non sine causa, quia ad hoc etiam a Deo est constitutus, ut negligentes puniat. Et hoc est, quia "est Dei minister", id est in hoc etiam ministrationem a Deo habet, ut sit "vindex in iram" id est per penam ei videlicet, qui "malum agit", id est qui male operatur. Et ideo, quia videlicet Dei minister est,[a] "estote subditi necessitati", id est potestati, que adeo vobis necessaria est, et hoc non "propter iram" ,id est propter penam, sed etiam "propter conscientiam", quia videlicet conscientia vobis hoc dictat faciendum esse. "Ideoque". Et merito, quia Dei minister est, debetis ei subiectionem, quia etiam ideo "tributa prestatis", id est debetis ei tributa prestare. Et vere ideo, quia videlicet "Dei ministri sunt in hoc ipso servientes", id est in accipiendo tributa, recognoscunt vobis servire debere et ministrare.

"Reddite ergo". Quia videlicet et vos[b] prestare[c] habetis et illi recipere, "ergo reddite" singulis "debita", que videlicet debetis.

"Cui tributum". Tributa dicuntur ea, que de redditibus terrarum dantur principibus. Vectigalia vero, que de vehiculis accipi solent. "Cui timorem", veluti principibus et regibus. "Honorem" veluti episcopis et ceteris prelatis.

"Nemini". Quasi dicat: Quid irem per singula, omnia, quecumque debetis, persolvite. Et "nemini quicquam" debeatis, "nisi ut invicem diligatis", id est nisi ut caritatem et semper debeatis et semper persolvatis. Hoc enim unum sic persolvendum est, ut semper debeatur.

---

[a] quia videlicet Dei minister est] *inter lineas*

[b] vos] *inter lineas*

[c] prestare] prestanre

"Qui enim diligit". Diceret aliquis: Estne magnum quid diligere invicem? Ita, quia "qui diligit proximum, legem implevit", id est in dilectione proximi consumatur lex. De dilectione Dei tacet, quia dilectio proximi dilectionem Dei comprehendit. Est enim dilectio proximi propter Deum proximum diligere, que nullo modo sine dilectione Dei habetur. Dilectio vero Dei sine proximi dilectione haberi potest, veluti si Adam in paradiso solus manens Deum diligeret nec proximum, cum proximus non esset, vel quislibet in angulo aliquo terre latens et alium hominem nesciret et Deum tamen diligeret.

"Nam non". Ostendit per partes legis, quod in dilectione proximi lex impletur, quia et hoc et hoc preceptum dilectio proximi implet. Qui enim diligit proximum, in nullo offendit. Et hoc est, quia "non adulterabis". Ponitur hic species pro genere. Per adulterium enim accipit omnem concubitum illicitum. "Non occides". Et hic genus pro specie. Cum enim dicitur: "non occides", hominem, subintelligitur. Quippe homini prohibitum non est, ut anserem vel agnum occidat. Quomodo intelligendum sit: non occides hominem, ex superioribus liquidum est, ut videlicet, si quando quis hominem occidit, potius Deus in ipso occidat quam ipse, id est, ut propter Deum interficiat et non propter se.

Queritur, an alicui liceat seipsum interficere, veluti alicui, que virgo est, ne integritatem corporis ammittat, sicuti si eat sua via.[a] Quod Jeronimus[369] super Jonam astruere videtur, qui ait: Nulli licet sibi manus inicere, sed mortem ab alio illatam libenter sustinere, nisi ubi castitas periclitatur. [112*]Ad quod philosophus: Absit. Nec hoc, inquit, astruit illa auctoritas, que dicit: nisi ubi castitas periclitatur, quod

---

[a] si—via] *in margine*

---

[369] *Commentariorum in Jonam liber* 1 c. 1 (PL 25,1129): Non est enim nostrum mortem arripere, sed illatam ab aliis libenter excipere. Unde et in persecutionibus non licet propria perire manu absque eo, ubi castitas periclitatur, sed percutienti colla submittere.

[112*] Cf. Abaelard., *Sic et Non* c. 155 (PL 178,1603).—*Laborantis Cardinalis opuscula* (ed. A. Landgraf, Bonnae [1932]), 28 sq.

est, nisi qui aliquod familiare preceptum habet[a] a Domino; veluti Sanson, qui a Deo singulare habuit mandatum, ut seipsum occideret, quem tamen Dominus potius interfecit quam ipse. Lucretia vero, que seipsam occidit, propter carnis infirmitatem id fecit, sicut etiam quedam mulieres in primitiva ęcclesia, nisi dicamus,[b] ut beatus Augustinus[370] asserit, quod fortasse preceptum a Domino habuerint, ut suo exemplo fidei constantiam posteris relinquerent. Nulla utique propter virginitatem servandam seipsam occidere debet, cuius corrupto corpore mentis tamen manet integritas. Unde quidam sapiens ait: Duo in lecto, unus adulterium facit.[371]

"Non concupisces", rem scilicet proximi tui. "Et si quod aliud", quasi dicat: Et non solum hec mandata, sed etiam, si aliquod "aliud est mandatum, instauratur," id est impletur in hoc || videlicet verbo "Diliges" etc. [113*]Non dicit: 121r
quantum te ipsum, sed sicut te ipsum. Si enim singulos diligerem quantum me ipsum, tantum Martinum quantum et matrem Domini a me diligi oporteret, quod minime fieri oportet. Singulos enim sic debes in dilectione pensare, ut semper meliores plus diligas. Mater enim Domini multo amplius diligenda est quam Martinus, que multo melior est. Sed tamen cum heremitam aliquem plus diligam quam fratrem meum, id est optem illi melius esse, fratri magis quam heremite in necessariis providebo. Et ad hanc dilectionem servandam illa duo precepta naturalia spectant: quod vobis vultis fieri, homines, aliis facitote,[372] et, quod non vultis

[a] habet] *inter lineas*
[b] nisi dicamus] *inter lineas*

[370] Augustinus, *De civitate Dei* lib. 1 c. 19 n. 3 (PL 41,34) et c. 26 (PL 41,39).
[371] Augustinus, *De civitate Dei* lib. 1 c. 19 n. 2 et 3 (PL 41,32): Duo fuerunt et adulterium unus admisit.
[372] Matth. 7,12; Luc. 6,31

[113*] *Sent. Herm.*, c. 32 (PL 178,1748 CD) scribunt: "sicut te ipsum", *Sent. Paris.:* "tamquam te ipsum" (Cod. Paris. Nat. lat. 18108 fol. 74v—A. Landgraf, *Ecrits*, 50).

vobis fieri, alteri ne feceritis.[372a] Que precepta paulo ante exposita sunt.
"Dilectio". Vere in hoc verbo, quia "dilectio proximi malum non operatur", id est ab omni malo retrahit. "Plenitudo" ergo, quia videlicet dilectio proximi, ergo "dilectio est plenitudo legis", a parte. "Et hoc". Quasi dicat: Dilectio est plenitudo legis in hoc tempore revelata, quod est tempus amoris, non timoris.
"Et", vos fratres, "hoc", scilicet tempus amoris esse, "scientes", id est attendentes, quia "hora" est "nos a sompno", id est ab illo torpore, ab illa pigritie, in qua prius fuimus, "surgere", ut ad illa premia habenda, que iam prope sunt, festinemus. Non dicit: tempus est, sed: quia hora est, ut sine omni dilatione ad premium, quod iam presto est, properemus. Sic construe: Et hoc scientes, quia hora est, ergo "abiciamus opera tenebrarum", id est mala opera, que digna sunt tenebris. Qui enim male agit, odit lucem. "Et induamur arma lucis", id est bonis operibus armemur tamquam indumentis, que digna sunt luce. Et hoc ita, ut "in die", id est in hoc tempore, in quo lux vera apparuit, que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.[373] Et metafora est, quam ponit: Sicut enim quaslibet vestes in nocte possumus habere, sed in die honestiores, ita post adventum veri luminis, quicquid in priori tempore, quod erat quasi nox et tenebre, fecimus, in hoc tempore lucis honeste ambulandum est, ut honestiora indumenta habeamus. Sic et in regula beati Benedicti[374] ammonetur, ut videlicet monachi pulcriores vestes in die[a] habeant vel etiam, si qui foras exeunt propter aliquam amministrationem, honestius induantur, ne viliores, quam oporteat,[b] appareant. Nimia enim humilitas superbia esse videtur. Veluti, si aliquis monachus lignea haberet calcaria.

---

[a] in die] *inter lineas*
[b] oporteat] oportent

[372a] Cf. Tob. 4,16.
[373] Joh. 1,9.
[374] *Regula* 55 [E. Schmidt, *Regula S. Patris Benedicti,* Ratisbonae (1892), 92].

"Nunc enim[a] propior". Vere hora est, ut de corpore veteri surgentes ad premium habendum curramus, quia "nunc est propior", id est propinquior quam tunc, cum "credidimus", id est cum credendo sacramenta suscepimus.

"Nox precessit". Sequens predictam metaphoram, quia de sompno surgendum esse dixit, monstrat, quare surgendum sit. Quia videlicet "nox precessit", id est priora tempora recesserunt, que quasi tenebre erant, "et" iam "dies appropinquavit", id est tempus gratie, in quo vera luce veniente illuminatus est mundus.

"Non in comessationibus". Dixerat opera tenebrarum abicienda et honeste ambulandum esse. Quomodo hoc sit, de utroque monstrat. Et primum de abiciendo[b] opera tenebrarum, quasi dicat: Dixi, ut honeste ambulemus et hoc[c] "non in comessationibus", id est nimiis cibis, "et ebrietatibus", id est nimiis potibus. [114*]Et dicitur commessatio quasi communis esio, ubi videlicet de multis unusquisque de suo simbolum confert, ut invicem edant, vel ubi unus alterum invicem ad convivandum invitat. Sed iste commessationes sive potationes cause sunt omnium turpitudinum. Homo enim ebrius de Deo quicquam non attendit ad hoc tantum intentus, ut voluptates suas expleat cum quacumque. Quid enim Venus ebria? Nam Venus in Venere est, ignis in igne manet. Iste tamen commestiones in christianis principium habuerunt ab illis communionibus, que fiebant in primitiva ęcclesia. Primi enim christiani cum totis familiis suis conveniebant ęcclesiam et cibos suos consecratos a sacerdote unusquisque comedebat etiam usque ad crapulas et tandem cibati et poti cornua sumentes usque ad contentionem veniebant. Quas quidem comestiones in Corrintiis arguit apostolus dicens: Numquid domos non habetis ad manducandum aut ęcclesiam Dei contempnitis?[375]

---

[a] Nunc enim] *in margine*
[b] abiciendo] abicienda
[c] hoc] *inter lineas*

---

[375] 1 Cor. 11,22

[114*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 5 c. 13 (PL 178,951 D sqq.).

"Non in cubilibus et impudicitiis". Ostendit illa prava opera, que ex istis superfluitatibus veniunt. Et hoc est "non in cubilibus et impudicitiis", id est in inpudicis[a] cubilibus. 115*Lectus autem ferarum cubile proprie dicitur. Unde competenter hoc loco impudica eorum appellat cubilia, qui ex ebrietate tamquam bestie facti et non rationis memores ad prava desideria explenda cum magno feruntur impetu.

"Non in contentione". Contentiones iterum inde habent exordium, sicut etiam invidia. Et hoc est "non in contentione", id est in litibus, "et emulatione", id est invidia. "Sed induimini". Abicite illa cum suis effectibus, "sed iduimini". 116*Ille autem Christum dicitur induere, qui similem se Christo exhibet per imitationem. Sicut enim philosophi quosdam dixerunt leonem vel capram vel porcum induere vel animam etiam corpora porcina introire, quod nichil aliud est nisi animam huiusmodi bestiis per inmunditiam conformari, ita et illi Christum dicuntur induere, qui eum imitantur per bona opera. Et hoc est "sed induimini", id est imitamini. Et ut possitis induere, "ne feceritis curam carnis". Non dicit, ut curam carnis non faciant, sed ne faciant in desideriis, id est in voluptatibus explendis.

[a] inpudicis] inpidicis

115* Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 5 c. 13 (PL 178,952 B).

116* Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 5 c. 13 (PL 178, 952 D sq.).

[Cap. 14.]

"Infirmum". Aliud vult apostolus in illis corrigere. In primitiva enim ęcclesia iudei conversi volebant cerimonias legis teneri et nullum de gentibus in fide assumendum esse, nisi prius sacramenta legis, que priora erant, susciperet, deinde ewangelii. Eos etiam gentiles conversos iam iudicabant, qui omnia comedebant et carnes porcinas et cetera, que lex prohibebat, et nulla omnino propter legem tenenda esse astruebant.[a] Qui etiam econtra iudeos arguebant, qui non omnia propter legem manducabant dicentes eos nullatenus in fide ista posse salvari. Hanc autem controversiam removet apostolus volens unumquemque suam sequi conscientiam et in suo sensu habundare, donec videlicet rationes de istis promulgentur, an sint tenenda necne. Nondum enim apostolus, quando hanc epistolam scribebat, veniens Jerosolimam rationes contulerat cum Jacobo Jerosolimitano episcopo et Petro super ceremoniis legis, an essent servande,[376] quas ipse postmodum omnino removit Petro, ut alibi dicit, resistens in facie coram omnibus, ut videlicet novis supervenientibus cessarent vetera.[377] Hos itaque vult interim in pace consistere, donec rationes manifeste sint et nemo firmus in fide, qui videlicet omnia credit manducanda esse et nichil propter legem dimittendum, infirmiorem iudicet nec econverso, sed invicem credant alter videlicet alterum in fide sua posse salvari. Et hoc est "infirmum", quasi dicat: O fratres, qui firmi estis in fide, qui videlicet creditis omnia comedenda esse, non abicite "infirmum", sed assumite eum tamquam fratrem. Et hoc non "in disceptationibus cogitationum", acsi diceret: Non existimantes huiusmodi et inde contendentes[b] non posse salvari, nisi omnia credat se posse

[a] astruebant] astrebant
[b] et inde contendentes] *in margine*

[376] Act. 15
[377] Gal. 2,11-13

comedere. Tunc enim disceptatio est in cogitationibus, quando quis credens hos, qui omnia comedunt, in fide ista posse salvari, illos vero in fide illa non, cum illis etiam inde disceptat et contendit.[a]

"Alius enim". Diceret aliquis: Et sunt disceptationes apud illos, ita, quia "alius credit se omnia" posse "manducare". "Qui autem infirmus". Mirabile consilium dat infirmo, ut videlicet olera manducet, quia et cibus iste pro magno non constat et sanus est, et, qui comedit, scandalum non faciet, immo nomen religionis adquiret. Si enim quasdam carnes comederet et a quibusdam abstineret, scandalum inferret
121v fratribus. ||

"Is qui manducat". Ille, inquam, olus manducet, qui in fide infirmus est. Et "is qui", videlicet omnia, "manducat", id est credit posse manducare, "non spernat", id est non contempnat "non manducantem", id est eum, qui non omnia credit se posse comedere. "Et" iterum, "qui non manducat, non iudicet", id est non spernat "manducantem", id est eum, qui omnia commedit. Et ideo nec manducans non manducantem contempnat nec non manducans manducantem, quia "Deus" in fide "assumpsit illum", id est et manducantem et non manducantem, quia videlicet, quem Deus eligit, homo non contempnat.

"Tu quis es?" Bene dixi, quod nemo vestrum[b] iudicet alterum, quia de servo alieno non spectat ad vos iudicium. Et hoc est "Tu quis es?", frater, "qui iudicas alienum servum", quasi dicat: Quare non[c] attendis tu, quod facis, qui de servo alterius iudicare presumis, cuius statio sive casus non quicquam ad te pertinet, sed ad dominum suum, cuius est casum servi punire et stationem remunerare. "Suo". Tu, inquam, non habes iudicare, sed dominus, quia "domino suo stat aut cadit", id est ad dominum suum spectat et statio illius ad remunerandum et casus eiusdem ad puniendum, non utique ad te.

"Stabit". Quasi dicat: Et stare et cadere illius Domini

---

[a] cum—contendit] *inter lineas*
[b] vestrum] *inter lineas*
[c] non] *inter lineas*

est. Sed ille utique "stabit", id est salvabitur. Debemus enim ea, que ignoramus, in meliorem partem semper convertere. "Potens enim". Diceret aliquis: Et per quem stabit? Per Deum, quia "Deus potens" est "illum statuere", id est firmiter ponere in fundamento ęcclesie, quod est Christus Jhesus, ut ab illo non avellatur.

"Nam". Ad illud, quod supra dixit, redit, quasi dicat: Vere diverse existimationes sunt apud vos etiam in manducando,[a] quia alius "iudicat diem inter diem" ad abstinendum, "alius iudicat", id est discernit "omnem diem", ut videlicet abstineat. Sed tamen interim, donec rationes promulgentur, "unusquisque" in omnibus istis videlicet "habundet in suo sensu", id est suam sequatur conscientiam, et, quod ei dictat faciendum, faciat.

"Qui sapit". Et bene dico: habundet, quia et qui abstinet et qui manducat, putat obsequium Deo prestare. Et hoc est "qui sapit", id est discernit, ut videlicet abstineat, "Domino sapit", id est ad laudem Domini et honorem hoc facit. Et ille iterum, "qui manducat", ad honorem Domini manducat.

"Gratias enim". Vere Domino, quia ipse "gratias agit", id est actionem gratiarum Deo refert pro beneficiis suis gratis collatis. Et iterum ille, "qui non manducat", propter Deum "non manducat", quia et ipse "gratias" Deo reddit. "Nemo enim". Bene dixi utrosque Deo gratias agere, quia "nemo" id est nullus vestrum, qui aliquis est, "vivit sibi", id est propter se, ut videlicet in se finem ponat. Et iterum "nemo sibi", id est propter se, "moritur", quasi dicat: imo propter Deum, quia nos omnes, qui aliqui sumus, "vivimus Domino", id est ad laudem Domini. Et iterum "sive morimur, Domino morimur", ut Deus videlicet glorificetur. "Sive ergo". Quasi dicat: Et quia Deum et vite et mortis finem ponimus, "ergo sive vivimus, sive morimur, Domini sumus", non videlicet nostri, sed eius servi tam viventes quam morientes. Et merito, quia "in hoc", id est propter hoc, ut

[a] etiam in manducando] *inter lineas; in margine habetur:* non, *sed non apparet, ubi sit ponendum in textu.*

videlicet Domini simus, "Christus mortuus est", per cuius mortem dilatata est caritas in cordibus nostris.
"Et" postmodum, tertia videlicet die, "resurrexit", in qua resurrectione confirmati sumus et certi de resurrectione membrorum. Et quare mortuus et resurrexit? "Ut" videlicet "dominetur", id est sit dominus "et vivorum", ut vivant illi, "et mortuorum", ut illi moriantur et tandem ad glorificationem Dei resurgant.
"Tu autem". Dixit supra, ne quis alienum servum iudicet. Nunc aliud vocabulum ponit, quod maxime ad concordiam allicit, ut nemo alterum contempnat, quia invicem sunt fratres in Christo.

Continuatio: Dixi: Tu quis es, qui alienum servum iudicas; sed etiam possum dicere: "tu quis es", id est, quare "iudicas fratrem tuum in non manducando", quia videlicet non manducat? "Aut tu" etiam "quare spernis fratrem tuum in manducando", quia videlicet manducat? Quasi dicat: Nolite invicem iudicare, sed hoc iudicium Deo potius relinquite, qui de omnibus commune iudicium faciet in fine, quem et nos iudicem expectamus, quia nos omnes "stabimus ante tribunal Dei". Tribunal autem dicunt sedem iudicariam. Et Dei sedes iudicaria humanitas est, quam Verbum sibi in personam unam univit, id est filius Dei, cui datum est omne iudicium. Pater enim omne iudicium dedit Filio,[378] quia potentia in iudicio cedit sapientie, que singula examinare et discutere habet, in qua examinatione erimus ante tribunal Dei, quia electi et reprobi eque hominem illum videbunt. Videbunt enim, in quem transfixerunt.[379] Non tamen omnes visionem Dei in se sentient. Sublatus est enim impius, ne videat gloriam Dei. Sed Verbum humanatum in illo iudicio mitius nobis erit, quod cotidie etiam[a] advocatum habemus, ad patrem interpellans pro nobis representatione humanitatis.[380] Ex eo ipso etiam gravius erit contempnentibus, quia contemptus ad se potius spectat quam ad aliam per-

[a] etiam] *inter lineas*

[378] Joh. 5,22
[379] Joh. 19,37
[380] Rom. 8,24; Hebr. 7,25

sonam, ex eo videlicet, quod humanatum est. Unde supponitur, quia filius hominis est. Nulla enim persona adeo humiliata est propter hominem quantum Verbum.

Et nota, quod dicit nos staturos ante tribunal, quia nos oportet de propriis factis rationem reddere.

"Scriptum enim". Vere stabimus, quia de illo iudicio "scriptum est"[381] ita: "Vivo ego, dicit Dominus". Sacramentum est, quasi dicat: Sicut verum est me vivere, ita verum erit istud, "quod omne genu flectetur michi", id est omnes flectent michi genua, id est humiliabuntur, in illo videlicet iudicio, quantumcumque me hic exasperaverint.

"Et omnis lingua", id est omnis rationabilis creatura "confitebitur Deo", id est dicet me Deum esse, id est potentem. Deus enim nomen potentie est. Unde dicitur, [117*]quod deos fecit in orbe timor.[381a] Et ita "unusquisque vestrum", sicut alii, in illo tremendo iudicio "rationem pro se", id est de propriis factis.

"Non ergo". Quia videlicet omne iudicium Deo relinquendum est, "ergo non invicem iudicemus", alter videlicet alterum, vel quia manducat vel quia non manducat. "Sed hoc iudicate", id est potius approbate, "ne" videlicet "ponatis offendiculum", id est ut aliquid non faciatis, in quo frater offendatur vel etiam scandalizetur. Omne autem scandalum offendiculum est, sed non econverso. Scandalum enim est, quod omnino avellit, offendiculum etiam est, quod ex parte infirmat.

"Scio enim et confido". Acsi diceret: Non ideo hoc dico, quod aliquis cibus immundus sit, quia ego "scio et confido in Christo Jhesu", id est per doctrinam Christi Jhesu, quia videlicet "nichil" alicui "commune", id est immundum est ad vescendum, "per ipsum", id est per doctrinam ipsius. Lex vero quedam interdicebat veluti carnes porcinas et hoc prop-

---

[381] Is. 45,24

[381a] Publius Papinius Statius, *Thebais* lib. 3 vers. 361 (ed. Ph. Kohlmann Lipsiae [1884], 81).

[117*] Cf. Abaelard., *Theologia christiana* lib. 1 c. 3 (PL 178,1128 B); *Theologia* lib. 1 c. 9 (PL 178,990 D).

ter predictas fortasse causas, ut mensa gentium non[a] retraheret illas a cultu Dei ad idola. Vel potius propter significationem, ne videlicet porcis incorporentur id est immundis hominibus. Quibus etiam dictum est: Omne, quod non ruminat nec findit ungulas, non commedetis.[382] Et hoc propter significationem. Ruminatores enim sunt predicatores, qui providi sunt et in dicendis et in faciendis, qui videlicet prius ruminant et postmodum dicunt vel faciunt. Illi vero findunt ungulas, qui discretionem habent in bono et in malo. Caro igitur interdicta est illis non ruminantium et fissas ungulas non habentium, ut talibus non sint similes et eorum consortium fugiant, quia cum sancto sanctus eris et cum iniquo iniquus.[382a]

"Nisi ei". Nichil commune est, inquam, alicui ad comedendum, "nisi ei, qui existimat", id est putat, "quid commune", id est aliquid immundum esse. "Illi", dico "commune" est, id est immundum, quia comedendo contra conscientiam coinquinatur. Hanc sententiam proponit nobis veritas dicens: Cibus, qui intrat os hominis, non coinquinat hominem, sed cogitationes male, que a corde exeunt.[383] Sed, quod hoc loco commune pro immundo accipitur, tractum est a vasis. Quedam enim vasa sunt communia sicuti vasa coquina, que que-
122r libet vilia recipiunt. || In tali etiam significatione ponitur, cum Petrus vas quadratum viderit, cui dictum est: macta et manduca,[384] et ille abhorreret. Cui iterum dictum est: Quod Deus creat, ne dicas commune,[385] id est immundum. Iuxta quod etiam Matheus verbum ponit dicens: Quod intrat in os hominis, non communicat hominem,[386] id est non coinquinat.

"Si enim". Et quamvis omnia liceant secundum doctrinam Domini Jhesu, vide tamen, ne in cibo tuo scandalizes fra-

---

[a] non] *inter lineas*

---

[382] Lev. 11,3,26; Deut. 14,6,7.
[382a] Psalm. 17,27.
[383] Matth. 15,11,18 sq.
[384] Act. 10,13: occide et manduca.
[385] Act. 10,15: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.
[386] Marc. 7,18

trem tuum, quia, si "propter cibum frater tuus contristatur", id est si propter cibum tuum sustines fratrem tuum contristari, "iam secundum caritatem non ambulas", cum videlicet proximum tuum non diligas.

"Et ideo" "noli cibo tuo perdere". Quasi dicat: Non dico: ne perdas, sed: in voluntate non habeas perdere illum, "pro quo Christus mortuus", id est pro cuius salute Christus se hostiam in cruce immolavit. Non enim debes velle, ut ille perdatur propter cibum tuum, pro quo tantum pretium datum est.

"Non ergo". Quia videlicet pro illo mortuus est; ergo sic faciatis, ut "bonum nostrum", id est fides nostra, que perfecta est, "blasphemetur" id est arguatur, a proximo scilicet, qui dicat: Maledicta sit fides ista, que iudicat omnia licere.

"Non est". Sed quia nulla dimittenda sunt propter scandalum, que ad salutem sunt, diceret aliquis ista huiusmodi esse. Ad quod dicit, quia cibus et "potus non est regnum", id est ista neque auferunt neque conferunt regnum Dei. Sed "iustitia" et ex iustitia "pax", id est concordia, et ex illis "gaudium in Spiritu Sancto", id est spiritale. Postquam enim homines parati sunt unicuique, quod suum est, reddere, ex quo concordes inter se fiunt, habent quandam mentis hilaritatem de conscientiis suis, que eos de premio reddunt securos.

"Qui enim". Vere ista regnum Dei conferunt, quia ille, qui "in hoc", scilicet in his cibis "servit" Christo, id est obedientiam Christo exhibet, "placet Deo", et non solum Deo placet, sed etiam hominibus, et hoc est "probatus est hominibus", quasi dicat: et a Deo diligitur et ab hominibus. Et quia tantus fructus est in illis, "itaque, que pacis sunt, sectemur", id est ea faciamus, que pacem conferunt, id est concordiam, "et que edificationis sunt invicem, custodiamus", id est ea, ex quibus proximus edificari potest et instrui. Apostolus nomen pacis precipue ponit memor sue intentionis, quia illi in altercatione erant.

"Noli". Et quia, que pacis sunt, sectari debes, "noli propter escam" tuam "destruere opus Dei", id est fidem proximi, que est opus Dei, diligenter providendo, ne cibo tuo scandalizatus

a fide recedat. Et hoc non dico propter escam, quod videlicet esca sit immunda, quia "omnia munda sunt" licita ad manducandum. "Sed" tamen, quamvis omnia sint munda, "malum est homini, qui per offendiculum manducat", id est, qui sustinet propter cibum suum fratrem offendi. Et econtrario "bonum est" tibi propter fratrem "non manducare" neque aliquid facere, quod contra Deum non est, "in quo frater" tuus "scandalizatur", aut etiam, si non scandalizatur, tamen aliqua parte "infirmatur". Scandalizari enim est a fundamento avelli; infirmari vero, cum quis in fundamento maneat, aliquam fidei lesionem incurrere.

"Tu fidem". Diceret aliquis: Arguis fidem meam, qui ita rogas, ne propter scandalum manducem. Non utique, immo laudo, quia tu bene credis. Sed "tu" tamen "fidem", quam apud te bonam "habes, habe" eam "coram Deo", id est fide tua sic utere, ne aliquid facias, quod Deus non approbet, nec omne, quod credis faciendum, facias statim, quia ille "beatus" est, id est "laudabilis, qui "in eo, quod probat", id est, quod faciendum esse existimat, "non iudicat seipsum", id est non statim sequitur suam conscientiam, sed super hoc alterum consulit, in quo ipse errare potest.

De suffucato et sanguine videndum est, quia apostolus, qui dicit omnia munda esse, videtur esse contra grecos, qui de suffocato et sanguine non commedunt, et contra apostolicam doctrinam, quia Jacobus apostolus[387] dicit a talibus abstinendum esse. Contra Origenem[388] etiam, qui astruit preceptum de suffocatis non solum iudeis destinatum, sed etiam omni nationi commune. In libris etiam penitentialibus pro talibus iniuncte sunt penitentie[389] [a] Ambrosius[390] quoque,

[a] In libris — penitentie] *inter lineas et in margine*

[387] Act. 21,25

[388] Origenes, *Comment. in epist. ad Rom.* lib. 2 (PG 14,904 sq.).

[389] Cf. totam seriem apud Abaelard., *Expositio in epist. Pauli ad Rom.* lib. 5 c. 14 (PL 178,960 sq.).

[390] Cf. Ambrosius, *Hexaemeron* lib. 3 c. 9 (PL 14,184 C. sq.).

qui Longobardus erat, dicit non omnia ad usum creata sicuti allium.[118*]

[119*]Ad hec omnia breviter respondet philosophus, qui dicit hec omnia potius interdicta propter honestatem vel sanitatem quam propter immunditiam. Venena enim etiam, etsi non per se, cum aliis tamen[a] comeduntur, cum maiores medicine parum efficacie habeant sine veneno.

"Qui autem". Ad superiora respicit, acsi diceret: Bene dixi: nisi ei, qui existimat, quia ille, qui "discernit", id est iudicat esse abstinendum, "si manducaverit, dampnatus", id est dampnationem incurrit, quia videlicet "non est ex fide", id est, quia est contra conscientiam.

Et unde hoc? Quia omne, "quod non est ex fide", id est, quod fit contra conscientiam, "peccatum est". Illi enim etiam, qui martires persecuti sunt, si dimitterent, peccarent; qui tamen in faciendo non peccaverunt, cum conscientia eis sic faciendum esse suggereret.

[120*]Sed queritur, cum non peccaverint, quomodo dictum sit: Pater, ignosce eis, nesciunt enim, quid faciunt;[391] vel: ne statuas illis hoc peccatum.[392]

Ad quod philosophus: Peccatum, inquit, pro vitiose facto accipitur iuxta illud Aristotelis:[393] Si enim peccet is, qui assignat ut ala, si assignetur avis, non convertitur, ut sit avis ale.

---

[a] tamen] *inter lineas*

---

[391] Luc. 23,34.

[392] Act. 7,60.

[393] Aristoteles, Categoriae, 6,30.—Boethius, *In categorias Aristotelis*, lib. 2 (PL 64,223 A).—Abaelard, *Ethica*, c. 14 (PL 178,656 B); Die Glossen zu den Kategorien—De relativis (B. Geyer, *Peter Abaelards philosophische Schriften* [Beiträge zur Beschichte der Philosophie des Mittelalters. Band XXI Heft. 2] Münster. i. W. [1921], 205).

[118*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* cap. 14 (PL 178, 961 C): Sic enim in Hexaemeron beati Ambrosii alium, quod ad medicamen sumi concedit, ad cibum sumi interdicit, quod scilicet fetore ipsius honesti viri facile scandalizentur.

[119*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Paul ad Rom.* c. 14 (PL 178, 961 C): Sic et de nonnullis aliis vilibus cibis propter honestatem conservandam fieri credimus.

[120*] Cf. Abaelard., *Ethica seu Scito te ipsum* c. 13 (PL 178, 653 D), c. 14 (PL 178, 655 A sq.).

[Cap. 15.]

"Debemus autem". Quasi dicat: Ille, ut dixi, qui infirmus est in fide, si comedit, dampnatus est. Et ideo nos, qui sumus firmiores,[a] "debemus sustinere imbecillitates infirmiores", id est compati infirmitatibus illorum, "et non placere nobis", id est non querere, que nostra sunt tantum, sed que alterius. Ille enim placet sibi, qui in omnibus suum commodum attendit et non alterius. Et ideo non tantum vestra attendatis, sed "unusquisque vestrum placeat proximo", non in adulterium, non in homicidium, sed "in bonum" et hoc ad edificationem alterutram.

"Etenim". Bene dixi, ut nemo vestrum placeat sibi et hoc exemplo Christi, quia "Christus non placuit sibi", id est non attendit sua bona, sed proximi, non suam gloriam quesivit, sed Dei, iuxta quod ipse dicit: Non quero gloriam meam, sed eius, qui misit me, patris.[394] [121*]Non placuit, dico sibi, sed proximo, videlicet pro quo tot passus est, quemadmodum "scriptum est": "Inproperia" etc. Verba sunt Filii ad Patrem. Improperantium tibi, dicit, quia improperia et contumelie, que fiunt servo alicuius, potius spectant ad vituperium domini quam servi. "Quecumque enim". Dixit, quod Christus sibi non placuit et ad hoc induxit testimonium legis. Ad quod diceret aliquis: Quid ad nos de lege, que iam cassata est? Multum utique ad nos, quia "quecumque scripta, ad nostram doctrinam scripta sunt", sive gramatica, cuius constructiones necessarie sunt eloquio Dei, sive dialectica, que necessaria est in rationibus reddendis, sive etiam quantumlibet lecatoris scripta, in quibus docemur figuras

---

[a] firmiores] *inter lineas*

---

[394] Joh. 8,50

[121*] Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 5 c. 15 (PL 178, 962 C) scribit: Non veni facere voluntatem meam, sed eius, qui misit me.

et verborum facetias cognoscere, quibus plenum est divinum eloquium.

[122*]Sed quod dicit: quecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse, videtur esse contra hoc, quod in exordio dictum est, ubi diximus scripturarum alias docere, alias movere.[123*]Docere sicuti ewangelium, quod docet, quid faciendum est. Movere, sicuti cetera scripta, que exhortationem faciunt et movent animas ad obediendum illis, que iam docentur. Non autem contra illud est. Omnia enim intelligit ad doctrinam fieri, que vel ad doctrinam faciendam vel implendam intendunt.

"Ut per patientiam". Ad nostram doctrinam, dico, scripta sunt, ex quibus talis fructus nobis provenit, "ut" videlicet per "patientiam" nobis in scripturis propositam "et consolationem" de premio, quod in ilis continetur, "spem habeamus", hanc videlicet, ut quandoque finitis tribulationibus ad premium attingamur.
"Deus autem". Ad id, quod supra dictum est, respicit, quasi dicat: Non placuit sibi Christus, sed, sicut scriptum est, ut in omnibus Deus glorificaretur et ita "Deus patientie", id est, per quem patientia est, quam nobis proponit scriptura, et "consolationis", id est, per quem est consolatio de premio salutis.
"Det vobis in alterutrum sapere", id est ita sapienter omnia facere, ut, quecumque facitis, ad gloriam Dei applicetis. Et hoc "secundum Jhesum Christum", id est exemplo Jhesu Christi. Et hoc est, quod supponit dicens, ut "uno ore", id est una laude "honorificetis" id est glorificetis "Deum et Patrem" vestrum, id est, qui est Pater.[a] Vos, dico, existentes "unanimes", id est unius voluntatis.
"Propter quod", ut videlicet uno ore honorificetis Deum, non abicite, sed "suscipite" omnes, et hoc exemplo Christi, qui nullum abiecit, immo suscepit omnes tam iudeos, quam gen-

---

[a] et Patrem—Pater] *inter lineas et in margine*

[122*] Cf. notam 1*.
[123*] Cf. nostrum prologum, necnon Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 5 c. 15 (PL 178,964 A).

tes. Et hoc est sicut "Christus suscepit". Et hoc "ad honorem", id est ad gloriam Dei.

"Dico enim". Vere Christus suscepit, quia iudeos et gentes; iudeos in persona sua, gentes per apostolos. Et hoc est, quia "dico Christum Jhesum fuisse ministrum", id est predicatorem "circumcisionis", id est iudeorum, quibus specialiter ipse cibum anime ministrabat ipso attestante, qui ait: Non sum missus nisi ad oves, que perierunt domus Israel.[395]

Et hoc "propter veritatem Dei" in illis implendam. Et de quibus sit veritas illa, supponit "ad confirmandas promis-
122v siones patrum", ut promissiones in illo populo || remanerent, etsi non[a] in singulis personis, tamen in aliquibus, ut Deus verax in promissis suis appareret.

"Gentes autem". Dico Jhesum Christum ministrum circumcisionis fuisse. Sed "gentes", dico, "honorare", id est debere honorare Deum "super misericordia", id est de misericordia illis impensa.

Nota, quod dicit: super misericordia, quia quasi iudeos ex debito salvavit, quibus in patribus salutem promisit. Gentiles vero nullo merito vel promissione precedente ad fidem misericorditer traxit.[b]

Debere, dico, honorare, ut honorant, "sicut scriptum" est: "propter hoc confitebor tibi in gentibus", id est faciam gentes tibi confiteri id est te laudare. Et "cantabo nomini tuo", id est faciam nomen tuum, id est notitiam tuam cantari in illis. Istud *propter hoc* ex precedentibus pendet, unde auctoritas ista sumpta est. Premissum est enim: et ab insurgentibus in me exaltabis me,[396] quia, cum iniqui putarent Christum extinguere, ipse exaltatus est et nomen illius tanto amplius divulgatum est. Et propter hoc, id est propter hanc exaltationem illud sequetur, quod videlicet laus Dei erit in ore omnium.

"Laetamini". Alia auctoritas de salute gentium et similiter de vocatione iudeorum, qui tamquam duo parietes in ęcclesia

---

[a] non] *in margine superiori*

[b] Nota—traxit] *inter lineas et in margine*

---

[395] Matth. 15,24

[396] Psalm. 17,49

sunt coniuncti per fidem. Et hoc est "letamini", id est gratulamini de vocatione vestra in laudem Dei "cum plebe", id est cum iudeis, quos Deus sibi in plebem et populum peculiarem de omnibus elegit nationibus.

"Laudate". Aliud testimonium[397] de eisdem. "Erit radix Jesse". Jesse est genitivus. Et vocat Christum radicem Jesse, qui quasi in populo illo radix remanserat ceteris extirpatis et iam a radice illa avulsis, qui ei per amorem adherere noluerunt. [124*]Et sicut aliqua arbore incisa et radici in terra latenti fimo et stercore appositis multo plures exeunt palmites, ita Christus, cui apposita sunt stercora, quia in cruce peccata nostra ipse tulit, qui et in corde terre per tres dies latuit, tandem post mortem et resurrectionem multos cepit filios habere, cum prius quasi solus existeret, quia nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum[a] manet.[399] Sed postquam tamquam extinctus existimabatur, tunc primum cepit crescere, et omnis mundus ad eum conversus est. Et hoc est "erit radix Jesse", scilicet Christus; et "gentes sperabunt in eum", ei videlicet per amorem coherentes. In eum, dico, qui primum tanquam extinctus reputatus, tandem "exurget regere gentes", id est exaltabitur et hoc consequetur.

"Deus autem". Ita utique vocati estis, et Deus, qui vos vocavit, Deus spei, in quem videlicet sperandum est, "repleat vos omni gaudio et pace". Pacem, ut dixi, sepe commemorat, ut eos, qui in litigio erant, ad pacem invitet. Et hoc "in credendo", quia impossibile est sine fide Deo placere,[400] ita videlicet, "ut" ex credendo, id est ex[b] fide "habundetis in spe", et sic "in virtute", id est dilectione, que similiter est donum

---

[a] solum] *inter lineas*
[b] ex] *inter lineas*

---

[397] Psalm. 116,1
[398] Is. 11,10
[399] Joh. 12,24 sq.
[400] Hebr. 11,6

[124*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 5 c. 15 (PL 178,965 D).

Dei. Ecce hic tria coniungit: fidem, spem, caritatem, que hominem ducunt ad vitam.

"Certus". Apostolus finiturus epistolam, quia multum eos exasperaverat, eis incipit blandiri, ne[a] in desperatione illos relinquat more comediarum, que quantumcumque litigiosum habuerint principium, finis semper erit concors et consonus. Quod etiam spalmi in consuetudine habent, qui quantumcumque aspere in primis loquantur, semper in fine lectorem in aliqua consolatione dimittunt.

Continuatio: Fratres mei, quamvis sic et sic locutus sim vobis, tamen "certus sum de vobis" etiam "ego ipse", qui non facile hoc crederem, nisi credendum esset, "quoniam" videlicet "pleni estis dilectione". Quidam enim plenitudinem dilectionis Dei habebant, etsi non singuli, de quibus hoc dicit. "Repleti omni sapientia", id est intelligentia tam veteris testamenti quam novi. "Ita" videlicet, "ut possitis alterutrum", id est invicem, "monere" vos non indigentes meis exortationibus. Sed tamen ego, cum vos ipsi sufficiatis, "audacius" id est cum maiori audacia "scripsi vobis", et hoc "ex parte", id est, quia vos in parrochia mea inveni, licet non vos converterim in loco videlicet gentium, quarum specialiter sum apostolus. "Tamquam in memoriam". Scripsi vobis, ut videlicet in memoriam vos reducerem de apostolatu meo, quem habeo in gentibus. Et hoc est "tamquam" etc. "Propter gratiam". Audacius dico et hoc "propter gratiam" id est officium predicationis, quod iniunctum est michi a Deo. [125*]Non enim[b] per me veni vel assumpsi, ut quidam faciunt. "Ut sim". Ad hoc, dico, data est, vel ad hoc[c] in memoriam reducens, "ut sim minister" etc.

"Sanctificans". Ille sanctificat ewangelium, cuius vita sue predicationi concordat, cum videlicet ea opere complet, que

---

[a] ne] *inter lineas*
[b] enim] *inter lineas*
[c] hoc] hac

[125*] Cf. Abaelard., *Expositio in ep. Pauli ad Rom.* lib. 5 c. 15 (PL 178,966 D).

verbis docet; unde precipue predicatio cuiuslibet commendatur, sicut econtrario illius predicatio, qui, quod docet, non facit, parvipenditur, imo reprobatur. Unde ipse alibi: Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis predicaverim, ipse reprobus efficiar.[401] Ita videlicet sanctificat, ut "oblatio gentium", id est obsecrationes, quas pro vobis gentibus offero, fiant accepte Deo et sanctificate "in Spiritu Sancto", id est per amorem Dei. Tunc enim oratio sancta est et Deo accepta, quando ex dilectione procedit. Hoc autem in exordio epistole dixit, ubi dictum est, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis,[402] ut finis iste principio conveniat.

"Habeo igitur". Quia videlicet data est michi gratia ista, igitur "gloriam habeo in Christo Jhesu", id est per Christum Jhesum, et hoc "ad Deum", id est ad honorem Dei. Hic contra speudoapostolos loquitur, qui multum detrahebant apostolo dicentes eum non esse apostolum neque a Deo missum, quem numquam vidit sicut alii apostoli. Ideo in multis locis compulsus suam personam commendat et illos retundit, ne, si semper taceret, ut beatus dicit,[a] pro vili haberetur et eius prudentia contemptibilis esset et efficaciam non haberet. Quod videns sepe nomen suum extollit, sicut etiam quandoque tacet, cum necessitas incumbit, veluti in epistola at Hebreos, in qua nomen suum non preponit, ut in aliis epistolis, ne illi, quibus scribebat, qui eum odio plurimum habebant, viso nomine, si preponeretur, statim epistolam abicerent, sed lecta epistola videntes suam edificationem precipuam et requisiti, cuius esset, dicerent postmodum: Fas est et ab hoste doceri.[403]

"Non enim aliquid". Quasi dicat: Bene dixi ex parte, quia ego me non intrudo in gregem aliorum nec in[b] illis me fundamentum posuisse predico, in quibus alii fundamentum posuerunt, sicut quidam faciunt. Pseudo enim apostoli, ut

[a] dicit] *nomen sequens vacat*
[b] in] *inter lineas*

[401] 1 Cor. 9,27
[402] Rom. 1,9 sq.
[403] Ovidius, *Metamorph.* lib. 4,428.

predicatio illorum magis susciperetur,[a] dicebant se illos et illos ad fidem convertisse. Et hoc est, quia ego "non audeo", id est non presumo, "aliquid eorum loqui", id est, ut dicam me aliquid eorum fecisse, "que Christus non efficit per me", id est utens me tamquam instrumento. Et hoc "in obedientiam gentium", id est, ut gentes fiiant obedientes Deo. Quorum obedientiam facimus hoc modo: primum "verbo", id est doctrina predicationis, et deinde "factis", id est miraculis, que verbis attestantur. Signis enim consequentibus et quasi testimonium verbis prebentibus predicatio est[b] efficacior. Factis, dico, non quibuslibet, sed "in virtute signorum et prodigiorum", id est per signa mirabilia, que creditur[c] virtus Dei operari. Signa autem sunt minora miracula; prodigia vero maiora, que videlicet pre nimia ammiratione quasi digito monstrantur. Quod ergo dicit: in virtute signorum et prodigiorum, hoc est in virtute mirabilium signorum, que ex virtute Dei videntur fieri et que virtutem verbis etiam prebent, id est efficaciam. Sed quia parum valet exterior predicatio, nisi sit interior doctrina spiritus, supponit: "in virtute" etiam "Spiritus Sancti", qui ad hoc interius corda inclinat, ut verbis exterioribus assentiant.

"Ita". Quasi dicat: In omnibus istis obedientiam gentium facio, et hoc "ita", id est cum tali fructu predicationis,[d] "ut", id est quod iam "repleverim ewangelium Christi ab Jerusalem per circuitum", id est circumquaque "usque Illiricum", id est illum locum, qui multum distat a Jerusalem.

"Sic autem". Quasi dicat: ewangelium Christi omnibus istis
123r predicavi, sed ita, "non" videlicet "ubi || nominatus est Christus, predicavi hoc ewangelium", id est ewangelium Christi, "ne fundarem super alienum fundamentum", id est, ne super laborem aliorum ponerem fundamentum, sed, "sicut scriptum est", ita videlicet, quoniam "quibus non est" etc., id est illis predicavi, qui de Christo quicquam non cog-

---

[a] susciperetur] *correctum ex susceperetur*
[b] est] *inter lineas*
[c] creditur] *add. et del.* creditur
[d] predicationis] *inter lineas*

noscebant, ne introirem in messem alienam, quemadmodum illi speudo faciunt.
"Propter quod", id est propter quas predicationes faciendas "et impediebar venire ad vos" et "prohibitus sum usque adhuc", quamdiu videlicet predicatio mea locum habebat in partibus istis. Et hoc est, quod supra dictum est, quia sepe proposui ad vos venire, sed prohibitus sum usque adhuc.
"Nunc vero". Hucusque prohibitus sum, sed "nunc non habens locum" predicandi "in regionibus istis", quia iam converse sunt. "Cupiditatem", id est voluntatem "veniendi ad vos" et hoc "ex multis" etc. Spero videre vos in proximo. Sed tunc spero, cum "cepero proficisci" a vobis "in Hispaniam", non quia Hispania sit causa principalis, imo vos, a quibus proficiscar illuc. Tunc, inquam, spero, quod "preteriens" a vobis in Hispaniam "videam" vos. Et "a vobis" aliquos "deducam" mecum "illuc" in Hispaniam. Multis de causis illos volebat secum deducere illuc, tum ut illis vita sua precipue nota esset, tum ut in via ea ab illo addiscerent, de quibus postmodum alios instruerent; tum, ut propter illos, qui aliis in capite mundi preeminebant, quos secum haberet conversos, eius predicatio apud alios facilius susciperetur.
"Si vobis". Quasi dicat: Et hoc faciam, si prius tamen "fruitus fuero ex parte". Aliud est frui, ut dicit Jeronimus,[404] aliud est uti. Mundo enim utimur et Deo fruimur. Frui enim aliqua re est in illa delectari propter se, quod soli Deo convenit, in quo solummodo propter se delectandum est. Et, cum soli Deo competat, non dicit apostolus simpliciter: fruitus fuero, sed addit: ex parte, quasi dicat: Ita vobis fruar, quod vos finem non ponam, sed Deum. Secundum quod etiam in litteris illis, quas mittit Philemoni, dicit: Ita te, frater, fruar in Domino,[405] ut videlicet non te, sed Dominum in fine constituam.
"Nunc igitur". Acsi diceret: Quia predicatio mea non amplius locum habet in partibus istis, igitur nunc, quod restat, perficiam et deinde ad vos veniam. Et hoc est:

[404] Augustinus, *De doctrina christiana* lib. 1 c. 3-5 (PL 34,20 sq.).
[405] Philem. 20

"Nunc igitur proficiscar ministrare sanctis", id est quandam aministrationem eis facere in elemosinis deferendis, quas ęcclesie mittebant ille, quia videlicet "Macedones probaverunt", id est dignum iudicaverunt "quandam" scilicet "collectionem facere in pauperes sanctorum, qui sunt Jerusalem". Isti autem pauperes de iudeis erant conversi, quibus iudei infideles post susceptum christianismum omnia sua auferebant nitentes, quantum poterant, et Christum et membra illius extinguere, ne, cum improperatum iam eis esset, quia erant proditores, si Christus cresceret, cresceret et illorum infamia et improperium.

Ideo autem apostolus iste in suis predicationibus precipue illorum pauperum memor erat, ut ecclesie gentium, quibus predicabat, aliquas collectas ad usus illorum facerent,[a] de quibus in epistolis suis sepe mentionem facit.

"Placuit enim". Diceret aliquis: Fecerunt utique collectas, sed tu coegisti eos. Non est verum. Quod in hoc apparet, quia videlicet illis "placuit" nemine cogente. Et tamen "debitores sunt eorum", id est ex debito quasi constrincti sunt, ut illis beneficia conferrent. Et vere debitores, quia si "participes facti sunt spiritualium", id est bonorum spiritalium illorum, veluti orationum, quas cotidie Deo pro illis offerunt, "debent" etc., id est merito habent illis dare sua carnalia, a quibus videlicet spiritalia accipiunt.

"Hoc igitur". Hoc restat agendum, quod dixi, sed "cum hoc consummavero", id est perfecero et "assignavero", que videlicet ęclesia quem fructum eis tribuat. Igitur "proficiscar", id est hoc facto et assignato veniam et a vobis in Hispaniam ibo. "Sciam autem". Veniam utique, sed scio, "quoniam ad vos veniens veniam in benedictionis habundantia" Christi.[b]

"Obsecro igitur". Dixit se beneficia ista pauperibus illis delaturum. Modo rogat istos, ut iuvent eum in orationibus, ut via sit ei secura et a perversis iudeis precipue liberetur in via, qui eum precipue habebant odio, acsi diceret: Quia proficiscor Jerusalem ministrare sanctis, igitur "obsecro"

---

[a] facerent] *in margine*

[b] Christi] *sequitur vacuum trium quartarum partium lineae*

etc. Et est tamquam sacramentum, ut videlicet sic hoc faciant sicuti volunt Dominum nostrum Jhesum Christum sibi proficere et in eo fiduciam habere. Et hoc "per caritatem" infusam cordibus vestris per Spiritum Sanctum et non per merita. Et "obsequii mei oblatio", id est collecte iste, in quibus ministro illis sanctis et servio, fiant accepte "sanctis in Jerosolimis", id est, qui sunt Jerosolimis. Non enim, si[a] in via periret vel caperetur, illis essent accepte. "Ut" hoc videlicet facto tandem "veniam" ad vos "in gaudio", id est ita,[b] ut et vos de me guadeatis et ego de vobis, cum venero non inveniens in vobis, quod michi displiceat. Et hoc "per voluntatem", id est dispositionem, et sic "refrigerer vobiscum", id est refrigerium habeam vobiscum sicuti cum illis, quos tamdiu desideravi. Et ut vobiscum possim refrigerari, "Deus pacis" etc, qui omnem litem a vobis removeat et pacem inter vos[c] componat. "Amen", id est fiat.

[a] si] *inter lineas*
[b] id est ita] *inter lineas*
[c] vos] *inter lineas supra* se

[Cap. 16.]

"Comendo autem". Per istam apostolus hanc epistolam misit illis et modo[a] eam illis comendat. Et quia quoddam negotium Rome habebat facere, rogat, ut ,in quo indiguerit, prebeant illi consilium, et, quamdiu ibi constiterit, ei necessaria inveniant.

"Cenchis". Locus est iuxta Corinthum, portus videlicet, ubi ista diaconissa erat, id est ministra in quadam ęcclesia, in qua quibusdam sanctis mulieribus ministrabat. Que vita mulierum a Domino incepit, qui mulieres sanctas secum habebat sicut postmodum apostoli, que manibus operantes sanctis viris ministrabant necessaria, in quibus quedam, que astutior erat, aliis preerat et dicebatur diaconissa, id est ministra. Sed hodie in vita monacharum, que inde inolevit, ille que presunt, vocant se abatissas, tamquam dominii potius sumentes vocabulum quam humilitatis. Abatissa enim sive abbas ab abba, quod est pater, dictum est.

"Digne sanctis", id est sicuti sancti debent sanctum suscipere. "Etenim. Et merito, quia "ipsa assistit", id est succurrit "multis", etiam michi ipsi.

"Salutate Priscam". Modo incipit eos salutare, et isti duo, quos inprimis salutat, hospites illius erant. Sed a Jerosolimis iam Roman venerant propter persecutiones, que ibi sunt facte. Et ideo eos salutat, quia in[b] quantacumque tribulatione aliqui fuerint sancti, si alicuius magne persone
123v salutationem acceperint, multo minus || gravant eos tribulationes, immo plurimam habent consolationem.

Qui "pro anima mea", id est, que se propter me morti exposuerunt. "Domesticam eorum ęcclesiam", id est propriam illorum familiam. "Qui est primitivus", id est primus in terra illa vel primum ad Deum conversus. "Que multum".[c]

[a] modo] *inter lin.*
[b] in] *inter lineas*
[c] multum] *sequitur vacuum dimidiae partis lineae*

"Probum", id est fortem, resistentem, viriliter agentem. "Matrem eius et meam", eius per naturam, meam per caritatem. "Salutate vos invicem". Consuetudo apostoli erat, ut illi, quibus scribebat, accepta epistola invicem se oscularentur, ut, si quis rancor mentis prius fuerit, tunc omnino removeretur et tantum facerent gaudium, tamquam ipse veniret. Et ad hoc invitat eos dicens: "Salutate vos in osculo", non proditoris, sed amoris. "Omnes ecclesie", id est omnes fideles, qui sunt apud vos.

"Rogat". Antequam finiat epistolam, rogat, ut speudoapostolorum consortium fugiant et, quantum possunt, caveant ab illis. Et hoc est "rogo" autem, "ut observetis", id est notetis eos et notatos fugiatis. "Preter doctrinam", id est contra doctrinam. "Huiuscemodi enim". Et merito, quia "huiuscemodi" etc.

"Vestra enim obedientia". Et de vobis precipue rogandum est, quia "vestra obedientia in omnem locum divulgata". Unde supra: Quia fides vestra annuntiata est universo mundo.[406] Sicut enim conversio vestra necessaria est ad imitationem aliorum, ita obstinatio periculosa est, ne propter vos, qui estis domini mundi, mundus etiam in obstinationem veniat.

"Gaudeo igitur". Quia videlicet vestra obedientia omnibus nota est, igitur "gaudeo". Sed volo vos sapientes esse in bono", id est astuti, "simplices in malo" per experientiam iuxta illud: Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbe.

"Deus autem". Volo, inquam, et vos potestis facile, quia Deus "conteret satanam", id est quemcumque inimicum velociter, id est sine mora, si in vobis remanserit.

Et, ut in omnibus Deo obediatis, "gratia" etc.

"Salutat". Iterum ad salutationem venit dicens: "Salutat Tertius". Nomen est illius, qui scripsit hanc epistolam, qui salutat eos in persona sua dicens: "saluto", tamquam verbum suum ponens, acsi diceret apostolo: Domine, dimitte me eos in persona mea salutare.

---

[406] Rom. 1,8

"Salutat". Verba apostoli. "Arharius", quia commune erarium civitatis custodiebat, dictus ab archa; vel quia custos arcis erat, ab arce dictus. "Quartus", proprium nomen. Et, ut omnia custodiatis, "gratia" etc. "Ei autem" etc. Apostolus in fine epistole, sicut in principio fecit, Deo agit gratias, ut videlicet, sicut ab ipso omnia sunt, sic etiam ad laudem illius et gloriam omnia fiant, ut, a quo inceperint omnia, ad eius glorificationem applicentur. Et hoc est "ei", id est Deo, gratia sit, "honor" etc. Hucusque enim littera suspensiva est. Et nota, quod istud *cui* apponitur, non quia sit necessarium, sed propter longam interpositionem, sicuti sepe in consecutivis solet fieri, in quibus coniunctio illativa admiscetur ad distinctionem antecedentis et consequentis, cum multe videlicet propositiones premittantur ad hunc modum: Si omnis homo est animal et omne animal est animatum et omne animatum est corpus et omne corpus est substantia: ergo omnis homo est substantia. Vel sic possumus dicere: Ei, ait, sit honor, cui est honor. Ei, dico, qui "potens est vos confirmare iuxta ewangelium meum", id est in eis, que predico. Sicut beatus Jeronimus[407] dicit, potest quis dicere: ewangelium meum, sed nemo: baptismus meus. Deus enim eque operatur in baptismo per quemlibet hereticum sicut per religiosissimum. In predicatione vero differunt persone, quia quanto quis erit astutior in rationibus reddendis, tanto melius predicabit; qualis fuit iste apostolus. Petrus vero, etsi causas reddere non sufficeret, alios tamen, ut redderent, invitabat dicens: ut parati sitis unicuique poscenti rationem reddere,[407a] more senatus, qui fugiens aliis precepta intimabat, de quo dicitur: Consulibus fugiens mandat decreta senatus.[408] Iuxta ewangelium meum, inquam, et "predicationem Jhesu Christi", a cuius videlicet predicatione non discordat predicatio mea, vel cuius predicatio multo fuit subtilior. Et unde sit illa predicatio, supponit "secundum revelationem misterii", id est

---

[407] Augustinus, *De baptismo contra Donatistas* lib. 5 c. 14 (PL 43, 185).

[407a] 1 Petr. 3,15

[408] Lucanus, *Pharsalia* I 489.

de occulto consilio divino, quod modo revelatum est, de Verbi videlicet incarnatione, quod Christus primum in persona sua predicavit, deinde apostoli.

"Misterii", dico "taciti", non predicati mundo, nisi Deus alicui inspiraret.

"Eternis temporibus". Eterna vocat tempora illa, que precesserunt adventum Domini, que tam longa fuerunt, quasi eterna, in quibus incarnatio Filii Dei revelata non est. Quod scilicet misterium "nunc patefactum", id est manifestatum est. Et hoc per scripturas, quia ad manifestationem illius sepe inducebantur testimonia a scripturis sanctis, que incarnationi Verbi attestantur. Patefactum, dico, et hoc secundum "preceptum eterni" Dei, qui ait: Ite, docete omnes gentes.[409] Et hoc "ad obeditionem fidei". Non dicit: ad fidem, quia parum est credere, sed "ad obeditionem fidei", ut videlicet unusquisque faciat, quod credit faciendum esse, et dimittat, quod credit dimittendum esse. Et hoc "per Jhesum Christum", qui videlicet mediator est, sine quo nulla est reconciliatio hominis ad Deum. Et hoc non in una gente, sed "in cunctis gentibus". "Cognito soli" Cui? dico. Scilicet Deo "soli cognito sapienti", qui videlicet solus cognitus est sapiens. Quale etiam illud est: Quis est bonus nisi solus Deus.[410] Solus enim sapiens dicitur, quia errare non potest. Angelus autem, etsi sapiens sit, sepe tamen errat, veluti angelus quidam, qui alio intimante debuerit animam cuiusdam hominis dormientis afferre, animam alterius, qui iuxta dormiebat, attulit, quam postmodum retulit et quam debuit, eam assumpsit. Sepe enim angeli ad animas in celum transferendas mittuntur, sicut in vita patrum de anima cuiusdam legitur, ad quam afferendam missi sunt angeli. Sed illa, quia tantum corpus suum diligebat, enixe noluit, donec David advenerat cum cithara. Ad cuius musicas consonantias ipsa egressa est. De quibus, ut dicunt philosophi, ipsa confirmata est || nullam in egressu lesionem admittens 124r
propter delectationem. Unde etiam animam regis, quam diabolus vexabat, compescuit David musicis consonantiis.

[409] Matth. 28,19
[410] Luc. 18,19

Quod autem angeli videntur assumere corpora, sicuti angeli, qui missi sunt ad Abraham vel etiam anime iustorum, illa utique corpora vera sunt corpora, sed de aere assumpta sunt, que et in aerem postmodum dissolvuntur.

"Cui". Ei, inquam, sit honor, cui est honor "in secula seculorum", id est per omnes successiones tam presentes quam futuras.[a] Erunt enim, ut beatus Augustinus[411] dicit, post hanc vitam quedam successiones, que tamen alie erunt quam iste. Iste enim semper in deterius vergunt, ille vero in melius et melius erunt. Et in utrisque successionibus laus Dei non tacetur.

"Amen", id est verum est vel fiat.

---

[a] presentes quam futuras] *in margine*

---

[411] Cf. Augustinus, *De vera religione* lib. 1 c. 53 sq. (PL 34,168)

INDEX NOMINUM ET RERUM

A

Abaelardus 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 10, 11, 15, 17, 22, 23, 25, 26, 28, 30, 33, 34, 35, 38, 39, 44, 45, 47, 49, 56, 57, 58, 59, 61, 62, 63, 64, 65, 66, 71, 72, 73, 75, 76, 77, 78, 81, 83, 87, 94, 95, 96, 97, 103, 107, 108, 111, 113, 116, 120, 121, 122, 126, 128, 129, 130, 131, 132, 135, 144, 146, 148, 152, 157, 158, 159, 164, 165, 168, 173, 175, 179, 180, 181, 182, 183, 185, 190, 193, 194, 199, 202, 203, 204, 205, 207, 208
abbas 141 sq.
abatissa 214
Abel 56
Abraham 7, 11, 33, 34, 58, 59, 61, 62, 63, 64, 65, 68, 69, 115, 116, 123, 124
Adam 71, 74, 75, 78, 110, forma futuri 73
affectus 151
Ambrosius 202
angelus 116, angeli corpus assumptum 218
Annas 144
Antiochus 5
Aristoteles 9, 99, 121, 203
Augustinus 7, 13, 48, 51, 53, 59, 71, 78, 118, 120, 130, 131, 164, 175, 191, 211, 216, 218

B

baptismus 80 sq., in nomine Christi 81, meus 30, 216, triplex mersio 81
Baruch 62
Beda 178
Beniamin 119, 165
Benedictus 192
Boethius 17, 22, 99, 120, 121, 178, 203
bonum 93

C

Cain 56
Caiphas 144, 145
caritas 44, 57, 69, 102 sq., 105, 183, 184 sq., 190, iustificatio 95, non semper virtus 99, ordo 44, 190 sq., post mortem 95, praeceptum 163 sq., remissio peccatorum 74, sacramenta, 58
causae primordiales 149
ceremonialia 199 sq.
Cetura 63
christianus, unde nomen 13
Christus 171, caput ecclesiae 141 sq., caput nostrum 8, non filius adoptivus 12, non filius per naturam 12, filius per gratiam 12, fundamentum 141, gratia 74, homo 160, iudex 198, impeccabilitas 38, mediator 217, nomen 8, persona 45 sq., plenitudo gratiarum 147, reconciliator 46, resurrectio 12
Cicero 4
circumcisio 53, Abraham 58 sq., cur antea non necessaria 33, efficacia 33, quando instituta 33, quare adveniente Domino cessavit 34, quare data 33, spiritualis 35
Cod. Zwettl 109, 144
comestiones 193
confessio fidei 149
concupiscentia 100
conscientia 179, 203, erronea 203
consilia 163

Cornelius 58, 144
corpus mysticum 180
creatura 110
credere 44 sq., in 142, 149, 151, in ecclesiam 45, in Christum 45
culpa 72

D

damnandus, oratio 112
Daniel 2, 128
David 2, 10, 11, 12, 19, 39, 136, 142, 178, 217
delibatio 165,
Deus, causa omnium bonorum 158, cognitio eius ex mundo 21 sq., constans in proposito 39, miseratio 127, non acceptor personarum 28 sq., non fallitur 122, patientia 25, praescientia 120, voluntas 129
diaconissa 214
dilectio, Dei cur maior propter passionem Christi 49 sq., proximi 190
diligere, Christum 45
doctrina 181

E

ecclesia 141, caput Christus 141 sq., 180
electio 158
eleemosyna 180
Elias 71, 156, 169
Epistola ad Romanos, hebraice scripta 148
Esau 77, 125, 126, 139
Exegetica 146
exhortatio 181
Ezechiel 9

F

Facienti quod est in se 144
Faustus 18
fatum 120
fervor 143
fides 17, 19, 20, 145, 149, Abraham 59 sq., definitio 57, gratia 179, iustificatio 58, 140
filii adoptivi 107 sq.
Filius 114, sapientia 22
finis 185
fomes 72, 84, 90, 92
frui 211

G

Gandulphus, 45
Gaufridus Pictaviensis 45
gens 145
gladii duo 94
Glosa Cod. Paris. Mazarin. lat. 758 45
Graeci 24, 202
gratia 20, 41, 57, 74, 85, 88, 98, 104, 112, 126 sq., 129 sq., 131 sqq., initium salutis 157, post resurrectionem Christi 12, subtractio 126 sqq. 133 sq.
Gregorius Magnus 18, 116

H

Habacuc 20
Hagar 13, 62, 123
Haimo 87
hebraica lingua 159
Henoch 59, 71, 169
Herodes 146
Hieronymus 2, 3, 7, 51, 76, 83, 95, 128, 151, 168, 169, 170, 174, 181, 190, 211, 216
homicidium, quando licitum 190
homo creatus etiam non candente angelo 51
Horatius 1, 177
hostia, 102 sq.

J

Jacob 77, 115, 119, 124, 125, 126, 139, 169, 170, 195, 202
idololatria 24
idolum 159
Jeremias 9, 62, 114, 124,
Jesus, nomen 8
Jezabel 156
immaculata conceptio 12
impietas, quid 21

incarnatio 10 sq.
induere Christum 194
iniustitia, quid 21
intentio 56, 161, 176 sq., 179, caritas 152, erronea non bona 179, erronea meritum 179 sq.
invocare 150
Job 10, 31, 36, 63
Johannes 44, 64, 124, 136, 141
Johannes Baptista 171
Joseph 11, 42, 146
Josue 89
ira Dei 20
Isaac 65, 115, 123, 124, 156
Isaias 138, 142, 152, 154, 159
Isidorus 71
Ismael 59, 62, 123, 156
Israel 119, 137, 156, 169, 170
Juda 31
Judas 130
iudicari, quid 29
iudicium extremum 26, 198
iurare, quod iurare non est peccatum 16, per creaturas an licitum 16, per Deum quid 15, per idolum peccatum 15 sq., per lapidem an licitum 15
iustitia 20, 26, 52, 60, amissibilis 97, caritas 140, Dei 44, 47, mors parvulorum non baptizatorum 77, evangelium 60 sq., 140, legis 35 lex 60, opera legis 145
iustificatio 19, 20, 43, 44, 67, caritas 113, fides 140, meritum 74, 75, opera 140
Juvenal 128

L

Laban 169
Laborans Cardinalis 190
Laurentius 103
lectus 194
lex 19, 29, 53 sq., 78 sq., 85, 89, 90 sq., 94, 96 sq., 145, 199, iustificatio 29, 43
Libri poenitentiales 202
lignum vitae 71
litteratores 160
Lucanus 216
Lucretia 191

M

Malachias 126
maledictio 42
malum 93, 131, non a Deo 158 sq.
Maria 11, 147
Maria Magdalena 48, 141
Matthaeus 200
mendacium 40, 118
membrum Christi 68, 105
meritum 57, 58, 127
monachi 51, 103
mors 73, 84
Moses 61, 89, 115, 126, 138, 146, 147, 153, 154, 177

N

Nabuchodonosor 128
Nero 12, 26
Nicodemus 137

O

offendiculum 199
officium honorificare 163
opera, salus 157 sq.
oratio 112, necessitas 183 sq.
Origenes 6, 7, 11, 41, 159, 202
Originale, cur tantum ab Adam 76, iustitia Dei 76, 77, quid, 75 sq., remissio ex sola gratia 75
Ovidius 94, 209

P

pagani, unde nomen 14
paradisus, animalia 72
parvuli, sine baptismo mortui poena 78
Pater, divinitas 22, potentia 81
Paulus 130, unde nomen 6
peccatum 91, duobus modis 76, in Filium 42, in Spiritum Sanctum 42, 144, in omnibus 41, originale poena 71

Petrus 12, 18, 26, 28, 44, 53, 54, 58, 130, 137, 148, 171, 194, 200, 216
Pelagius 83, 168
Pharao, 126, 130, 134, 135
philosphus 65, 72, 74, 77, 81, 93, 94, 95, 97, 112, 122, 132, 144, 148, 163, 169, 175, 179 sq., 183, 190, 203, 211
picturae 24
Pilatus 31
Plato 21
poena, in Ecclesia 94, reproborum 28
praedestinatus 11
praedestinatio 113, 120, 127, 216
praelati 108
praescientia 120
prodigia 210
promissa Dei, quid prosunt populo electo 122 sq.
providentia 120, liberum arbitrium 121, 122
psalmi, critica textus, 41
Ptolemaeus 119
Publius Papinius Statius 199
purgatorium 56

Q

Quintilianus 15

R

Rahab 134
Rebecca 124, 125
redemptio 69 sq., 102 sq., bonitas divina 52, ad humilitatem instigat 50 sq., modus 47 sqq., poena diaboli 51
resurrectio 69, post eam maior gratia 82, 147
repromissio 64 sq.
Robertus de Meleduno 1, 2, 3, 4, 58, 132
Rufinus 6

S

sacerdotes 150
sacramenta, evangelii 170 sq., legis 170 sq., moriens an sine eis damnatur 144, necessitas 144
sacrilegium, quid 32
Salomon 2, 101, 186
Samson 191
Sara 13, 62, 63, 65, 123, 124
Sarazeni 154, haeresis 66, unde nomen 13
scandalum 199
scientia 120
semen, Abrahae 37, 65, 68, 123, 124, 156, David 11
Seneca 91, 110
Sententiae Florianenses 12, 17, 22, 23, 33, 34, 35, 38, 47, 57, 65, 77, 120
Hermanni, 17, 22, 23, 33, 34, 44, 47, 57, 58, 65, 95, 96, 98, 120, 126, 185, 191
Parisienses 97, 126, 185, 191
Rolandi 12, 17, 22, 33, 34, 35, 44, 47, 57, 65, 81, 120
servitus, diaboli 47, peccati 48 sq., 83
servus 7
sigillum 23
signa 210
Socrates 121, 122
spes 69, 111, definitio 57
Spiritus Sanctus 22, 102, processio 14
Stephanus 5, 103
stola, duplex electorum 28
suffocatum 202
suicidium 190
supererogatorium, meritum 163
symbolum apostolicum 13

T

testamentum 170
Terentius 9
Timotheus 171

Titus 5, 154
tribunal 198
tributa 189
Trinitas 14, 22, 65 sq.
timor 43, 85, 107, 136, 137
uti 211

V

vectigal 189
Vespasianus 5, 154
Vincentius 103
vindicta 186
virtus 99
vocatio 113, 135, 136, 139

PUBLICATIONS IN MEDIAEVAL STUDIES
The University of Notre Dame

I. *The Works of Peter of Poitiers, Master of Theology and Chancellor of Paris (1193-1205).* By Philip S. Moore.

II. *Commentarius Cantabrigiensis in epistolas Pauli e schola Petri Abaelardi: 1. In epistolam ad Romanos.* By Artur Landgraf.

In Preparation

Petri Pictaviensis allegoriae super tabernaculum Moysis. By Philip S. Moore and James A. Corbett.

Petri Pictaviensis sententiarum libri quinque. By P. S. Moore, J. A. Corbett, and Marthe Dulong.

Prepositini cancellarii Parisiensis summa contra hereticos. By J. A. Corbett and P. S. Moore.